

STATERA SANGVINIS
SIVE
DISCEPTATIO
DE SAPHENÆ SECTIONE
IN FEBRIBVS TVM IN VIRIS, TVM IN PRÆGNANTIBVS.
ET DE QVIBVSDAM ALIIS CASIBVS.

AVCTORE
BENEDICTO PERDVCIO
MEDICO TORNACENSI.



TORNACI,
Typis Viduæ ADRIANI QVINQVE', sub signo SS. Petri & Pauli, 1668.

1668



REGI REGVM
DOMINO DOMINANTIVM
TER OPTIMO MAXIMO
DEO VNI ET TRINO
SANCTISSIMÆ TRIADI.



Ibi, ô Altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ, Summo Medicinæ Auctori & Creatori, principii, finiſque neſcia Beata Trinitas, hanc ſanguinis ſtateram venerabundus tremebunduſque ſiſto. Abyſſus Abyſſum invocat in voce miſerationum tuarum; abyſſus nihili Abyſſum plenitudinis; abyſſus tenebrarum Abyſſum claritatis; abyſſus miſeriarum Abyſſum miſericordia-

 rum;

rum; abyſſus exiguitatis Abyſſum immenſitatis; abyſſus imperfectionum Abyſſum perfectionum omnium, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis comprehendit.

Patere, ô Adoranda Trinitas, ut opuſculum hoc deforme licet & impolitum aris tuis appendam; non quò immenſæ tuæ reſpondeam Majeſtati, ſed quò gratum me præbeam infinitæ Bonitati. Ecquid enim tibi offerre poſſum, quod non tuum eſt? Me tibi fortaſſe offeram? Offeram profectò quod ita tuum eſt; ut omninò non eſſet, niſi tuum eſſet. Mea tibi univerſa conſecrabo? Ecquænam mea, niſi tua; quæ mea tunc eſſe cæperunt, cùm à te mihi data ſunt. Immò & quantulamcumque ſcientiam meam tibi acceptam refero, quæ major ſanè extitiſſet, niſi mea obſtitiſſet pigritia.

Verùm,

Verùm, ô Beata Trinitas, cùm Medica ſcientia (cui diſpoſitione tua cæleſti navo operam) adeò abſtruſa ſit, totque involucris abſcondita; ut niſi tu, Sol æterne, caliginoſam ejus claritatem benigniori radio adjuves, exercitatiſſimus quiſque Medicorum illicò cæſpitet: quis ſum ego, & quæ ingenii mei acies, ut per offuſas internorum morborum nebulas, quò eundum, quidve agendum ſit, intueri poſſim; niſi tu, ô Beata Trinitas, quæ lucem inhabitas inacceſſibibilem, illumines tenebras meas?

Quid enim? ſi placuit ſermo Salomonis coram te, eo quòd muneri ſuo facturus ſatis, poſtulaſſet ſapientiam; numquid eam ipſam, qua poſſum animi ſubmiſſione rogantem, me repelles inanem & vacuum? Numquid ad candidiſſimos lucis tuæ radios, quibus in ægrorum ſalutem per

varia praxis diſcrimina proſperè dirigar, ſupplicem non admittes? Nimia certè qua diligis nos Charitas, & infinitus, qui de tenerrimo corde tuo triumphat amor, & hos, & ampliores à viſceribus miſericordiæ tuæ favores ſperare me jubent & expectare compellunt.

Eia ergo, reſpice & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne umquam culpa mea ægroti obdormiant in morte, ne imperitia mea periclitentur, ne incuria tardiùs convaleſcant: nam ſine te nec parum, nec multum poſſum facere, ſine quo nihil poſſum facere. Vbi verò ægrotus quis conſtitutos à te vitæ terminos, qui præteriri non poſſunt, attigerit; ubi de mortali illum carcere educere decreveris; ubi reſolutionis tempus inſtiterit; & idipſum, quæſo, fac me indiciis aliquibus deprehendere:

hendere : ut monente me disponat domui suæ, sed magis animæ, sacra confessione expietur, viatico Corporis Christi, & extrema unctione muniatur; atque adeò morte felici, corpore in terram & pulverem (unde sumptum est) redeunte, ad Creatorem suum triumphatrix anima revertatur, ubi Angelorum choris sociata, te Patrem, Filium & Spiritum Sanctum diligat, laudet, & benedicat per infinita sæculorum sæcula. Amen.



AD LECTOREM.

NE existimes velim, studiose Lector, me aliqua gloriæ cupiditate calamo manum admovisse: numquam enim tantum in me potuit vanitas; cùm nimiùm dilucidè ingenii mei perspectam habeam exiguitatem, quam satis & stili ruditas, & dictionis humilitas, velim, nolim, ostendunt.

Quæ igitur causæ ad id me conscium tenuitatis meæ impulerunt? Duæ potissimùm: prima quidem, dyscrasia discordiáve inter hujus civitatis medicos, quæ eò usque processit, ut ex his vix reperiretur, qui vellet consultationibus interesse, magno ægrorum damno, nec minori Reipublicæ incommodo. Quæ cùm etiam nunc perseveret (nondum enim fraternè, ut antea conveniunt) operæ pretium duxi dissensionis causas paucis exponere, ut veritate perspectâ, concordia citiùs ab exilio revocetur. Impossibile namque est rationes omnes, & argumenta sub unius, alteriúsve consultationis brevitate concludere: præsertim cùm in consultationibus non rarò clamores excitentur, & qui altiùs clamitat,

tat, victoriam reportare videatur.

Quapropter quædam annotaveram, quæ ortâ, de saphenæ sectione, disceptatione proferrem in medium: verùm cùm ad primam de saphenæ sectione mentionem quidam obturent aures suas, ne audiant, aut ex consortio (quod sylvestrius est) insalutatis aliis avolent; nonnulli amicorum (quibus parendum credidi) ut reipublicæ bono hoc opusculum prælo committerem, multis rationibus evicerunt.

Alteram scriptioni huic causam dederunt quorumdum Medicorum errores, nec non pharmacopæorum, empiricorúmque audacia, qui contra & artem, & praxim non minori securitate præscribunt passim ægrotis cathartica, quàm si opiparas caupo epulas præpararet. Unde non paucos præmaturâ morte sepulchro inferunt, eo solo nomine immunes à culpa, quo tegi soleant humo non magis cadavera, quàm crimina.

Minimè quidem me latet quàm multis medicis (iis potissimùm, qui, Veterum dogmatibus tam pertinaciter adhærent, ut Neotericorum rationes non admittere, immò nec audire velint) hoc opusculo sim bilem commoturus; admißâ præsertim à paucis sententiâ de saphenæ in prægnantibus apertione. Ast de nullo me arguit conscientia, cùm nullum

scriptis

scriptis lacessere, nedum lædere velim; nec ullum mihi inde, meisve commodum comparare intendam. Certè si quæ per sedulam diuturnæ praxis observationem errata detexi, evitarentur; & quæ expertus sum proficua, liberè admitterentur, optato potirer fine. Nihil quippe ita mihi cordi est, ac Reipublicæ bonum & salus populorum.

Quid enim? si Hippocratis doctrina tam sanctè semper fuisset observata, numquid non deformis hodie defectuosáque appareret praxis? tempus enim sedulæqúe observationes plurima illi penitus incognita detexerunt. Nam venæ sectionem in gravidis omninò prohibet lib. 5. aphoris. 50. *his verbis*: Mulier in utero gerens venâ sectâ abortit. *Quam sententiam antiquorum plurimi diutissimè, & cum multarum abortu, ac interitu nimis religiosè observarunt, donec contrarium patefecit experientia. Maximus quidem Medicus fuit Hippocrates, nos autem ipsius respectu tantùm Pigmæi existimamur, & sumus. Verùm ut dixit Quercetanus*: Pigmæus supra humeros Gigantis intuetur quidquid videt Gigas, & quia elatior, plura insuper detegit. *Sic quidquid rimati sunt Antiquiores, lectis eorum operibus, nobis innotescit: & insuper, uti morbi plurimi ætate illa inauditi mortalibus exinde contigerunt;*

gerunt; ita & remedia plurima illis incognita prodierunt in lucem.

Ea propter minimè vituperandum arbitror, si post diligentes observationes, aliqua præter Antiquorum dogmata, admittantur. Cùm autem Medici juniores non ita pertinaciter adhæreant defectuosæ Veterum praxi; ideò eis nominatim hic sermo, hócque destinatur opusculum. In quo non Rhetorum flores, non Dialecticorum argutiæ, non Philosophorum subtilitates; sed monita quædam reperientur praxi quotidianæ apprimè necessaria; de quibus nullus huc usque Medicorum tam specialem fecit mentionem.

Opusculo verò titulum præfixi: Statera sanguinis; ut quemadmodum Sapientiâ teste, omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit Deus; ita recordetur medicus, quoties sanguinem è vena mitti imperat, stateram in mente sua habere: ut ex qua vena, quando, quantum, & quoties mittendus sit, attentè consideret. Recordetur, quoties catharctica, aut quid aliud præscribit ægrotis, priùs in statera justa appendere judicium suum: ut possit inter remedia tuta tutissimum, inter salubria saluberrimum, inter bona eligere optimum.

Boni igitur consule, studiose Lector, hunc laborem meum, ac si medicinam agis, sanctissimos

ctissimos Medicos Cosmam & Damianum imitare, qui (ut eorum acta testantur) non magis medicinæ scientiâ, quàm Christi virtute, morbis etiam insanabilibus medebantur. At quomodo id assequar? inquies. Assequeris profectò, si ægros tuos maximâ, quâ poteris, eloquentiâ & mansuetudine adhorteris, ut ægritudinis molestias, ac dolorum aculeos æquo animo ferant, séque totos divinæ conforment voluntati, memores nemini quidquam, præter Dei Optimi Maximi voluntatem, & nutum posse evenire; immò nec capillum quidem capitis, absque ejus beneplacito deperdi. Incredibile namque dictu est quantum illa ægrotantis resignatio ad salutem non solùm animæ, sed & corporis recuperandam conferat. Quemadmodum enim timore, & anxietate cor comprimendo, omnésque corporis facultates veluti suffocando, morbus notabile incrementum sumit; sic in adversis patientiâ, & hilaritate ex di-divini beneplaciti intuitu cor dilatatur, obstructiones tolluntur, optima comparatur valetudo, & vita ipsa, parvæ instar æternitatis, in annos plurimos protrahitur.

At nescio quem imprudentiæ me & temeritatis arguentem audire videor; quòd præstantissimis civitatis hujus Medicis silentium observantibus ausim ego omnium minimus

præma-

præmaturum ingenii fœtum in lucem edere. Fateor ſanè & eruditione me aliis inferiorem, & argumento huic pro meritis deducendo imparem: ſed eò ipsò quòd parvulus ſim & exiguus, majori ſecuritate dictum Salvatoris uſurpo. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. *Matth.* II.



EPIGRAMMATA
VARIA
IN AVCTOREM
HVIVS LIBRI.

SI dixit quis, nec falsum dixisse fatemur:
Conveniunt rebus nomina sæpe suis.
Cur, queso, PERDV *paßim* BENEDICTE *vocaris?*
Qui servas alios, perdere tene potes?
Diceris an PERDV, *mitti quòd sanguinis undas*
E pede nunc medicâ sæpius arte jubes?
At sic te mortem clarum est, non perdere vitam,
Cùm totus prohibes ne moriatur homo.

ALIVD.

ALIVD.

SI liber Auctoris quædam dicatur imago;
Cur speciem Auctoris non gerit iste liber?
Nam PERDV *cùm sit,* PERDV *non indicat esse,*
Servandi vitam dum docet arte modum.
Ergo vel iste liber non est Auctoris imago,
Aut Auctor PERDV *nil nisi nomen habet.*

ALIVD.

MIror quàm varium faciant tua nomina sensum;
Si PERDV *tu sis, quî* BENEDICTVS *eris?*
Verùm si PERDV *tu es, tu es cognomine tantùm:*
Nomine, reque simul sed BENEDICTVS *eris.*

ALIVD.

IN venis non est rarum reperire metalla;
Sed rarum in vena est vitam reperire saphena.
Quantò igitur præstat plus cunctis vita metallis,
Tantò plus prodest PERDV *invẽtoribus istis.*

ALIVD.

ALIVD.

ALcydes quantus fuerit, pes prodidit: at tu
Quantus sis Medicus, vena Saphena docet.

ALIVD.

SIs PERDV semper, cùm quis te perdere quærit:
Sed PERDV non sis, cùm petit æger opem.
Ægris namq; suam qui vult impendere vitam,
In vitæ æternæ tempora servat eam.

Amico intimo
Amicus intimus

F. I. ab. A. C. D.



STATERA



STATERA SANGVINIS SIVE DISCEPTATIO DE SAPHENÆ SECTIONE IN FEBRIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Hujus disceptationis causam summatim continens.



VAMQVAM *universali approbatione, Nihil sub sole novum*, dixerit Ecclesiastes. Attamen Aurelius Cornelius Celsus de venæ sectione scribens *lib. 2. cap.* 10. dicit: *Sanguinem incisâ venâ mitti novum non est; sed nullum pænè morbum esse, in quo non mittatur, novum est.* Item, *mitti junioribus & feminis uterum non gerentibus, vetus est; in pueris verò idem experiri, & in senioribus, &*

 in

in gravidis quoque mulieribus, vetus non est. At plebei hujus temporis, medicinæque ignari itidem dictitant: feminis saphenam aperire, novum non est: viris autem & junioribus idem facere, novum est. Attamen tam viris, quàm mulieribus id præstabant antiquiores Medici, ut videre est apud Hippocratem, Galenum, Mesuem, Avicennam, &c. & recentiores plurimos: ergo non est novum.

Sed minimè mirum est, si medicinam ignorantes hoc mirentur; id verò stuporem ferè inducit, quòd aliqui nostræ ætatis medici, sibi plurimùm arrogantes, quos tam trivialia medicorum dogmata minimè latere deberent, hoc remedium, quasi aliquod novum, mirum in modum diffament, magnumque nefas esse taliter agere ubique prædicent, in febrium præsertim continuarum, & intermittentium curatione: cùm tamen in morbis acutis hâc nostrâ ætate grassantibus tam præsentaneum levamen reperiamus. Admittunt quidem, quòd aliquando fieri possit in mensium, & hemorrhoidarum suppressione, cùm fluere consueverunt, sed extra hunc casum nequaquam. Et hoc in practicantium palæstrâ, schisma enatum, hujus semina peperit disceptationis.

Sed hic obiter notandum, quòd hi ferè omnes


omnes medici, qui ita pertinaciter saphenæ sectionem rejiciunt in febribus, venæ sectionem quoque in pueris obtrectant, innovare aliquid (ut aiunt) in praxi medicâ recusantes. Ast profectò, si quod tempore Celsi novum prædicabatur, etiam nunc novum sit, numquam id vetus dici poterit: faciebat quippe Celsus medicinam, Augusti Cæsaris, & Tiberii temporibus, qui à mille sexcentis, aut circiter annis imperii habenas moderabantur.



CAPVT SECVNDVM.

PARAGRAPHVS PRIMVS,

In quo adversariorum argumenta patefiunt & rationibus evincuntur.



Sed ut omnes physices, & medicinæ periti, hanc litem nostram faciliùs dirimere possint, necesse est rationes, quibus nostri obtrectatores innituntur, patefacere, & quàm brevissimè discutere.

Dicunt primò: per venas pedum non potest educi materia morbifica, quia sunt nimis exiles & angustæ.

Ad hoc respondemus, omnes Anatomicos contrarium tenere; asserunt enim venas descendentes esse amplissimas, quia sanguis fœculentior ad eas potiùs mittitur suam ob gravitatem, & alias ob rationes; si ita exiles essent, quomodo fœculentus, & crassus sanguis eas posset permeare? Et certè quotidianâ Chirurgi sat sciunt experientiâ, quàm timenda sint femorum vulnera, propter amplissima vasa istac percurrentia, quæ cæsa omnem brevi & minimo spatio totius corporis sanguinem exhauriunt. Vnde mors tam subitò contingit. Testantur præterea Chirurgi, & nos ipsi millies vidimus, quòd sanguis ex incisa saphena, immò propè pedis pollicem, tanto impetu, & tam affatim exiliat, quàm ex basilica. Ergo non sunt exiles venæ pedum. (ut ipsi astruunt) Ergo tam benè potest educi materia morbifica istac ceteris paribus, quàm ex brachio: immò faciliùs; à calore siquidem aquæ, cui pes immergitur, tanta fit attractio, ut impetu majore, quàm ex basilicâ fluat.

Instant Adversarii: Si venæ pedum non essent nimis exiles, non esset opus aqua calida ad venarum dilatationem, & sanguinis attractionem. Respondemus non immergi pedes aquæ calidæ propter venarum exilitatem; sed propter partiũ frigiditatem, qua venæ coar-

ctantur;

ſtantur; & ut fœculentus ſanguis fluidior reddatur.

Dicunt ſecundò Adverſarii: quòd ſufficienter iſtarum venarum apertione non refrigeretur ſanguis, neque cor, quod eſt febris ſubjectum. Nos autem dicimus iſtam objectionem omninò eſſe experientiæ contrariam, quandoquidem quotidie videamus iſto remedio febres uno die jugulari, jecoris inflammationes tolli, immò & ſupernarum partium phlegmonas debellari. Vt quid ſanguis non refrigeraretur ſaphenæ apertione, cùm ex hac tam citò ſanguis educatur, quàm ex baſilica?

Inſtant Adverſarii: Saltem non ita refrigeratur cor, quod eſt ſubjectum febris: ergo, &c.

Reſpondemus non ita refrigerari cor, ſi minera morbi, vel focus febris ſit in venis cordi proximis: ſed ſi iſte focus ſit ſub jecore, vel in venis Portæ, vel Cavæ deſcendentibus, negamus. Immò aſſerimus tunc magis cor refrigerari ex ſaphenæ ſectione; quia materia, quæ cor calefacit, iſta ſectione revellitur, & quò minùs cor petat, impeditur. Quamvis enim ſubjectum febris cor dicatur, focus tamen febris rarò, vel numquam in corde deliteſcit; ſed aliunde eò deducitur. Quamdiu etenim materia febris, quantumvis

tumvis putrida in foco putredinis retinetur, vel impeditur quò minùs cordi communicetur, febris non accenditur.

Objiciunt tertiò Adversarii : Quòd saphenæ apertione ægri debilitentur sine emolumento, saltem notabili.

Cui objectioni satisfaciemus, absolutè negando; Communis enim est medicorum sententia, quòd sanguinis evacutio ex saphena multò minùs debilitet, quàm ex basilica: & ratio est,quòd massæ sanguineæ pars impurior, & fœculentior, post confectum in jecore sanguinem, à naturali secretrice facultate detrudatur in truncum venæ Cavæ descendentem : subtilior verò, & spiritibus magis referta, in truncum ascendentem, & inde per cor in arterias. Itaque si supernarum venarũ sanguis sit spirituosior, sequitur quòd plus spirituum deperdatur ex sectione basilicæ, ideoque magis debilitetur corpus hujus venæ apertione. Ægrè enim admodum fert natura jacturam hujus elaboratissimi thesauri, & lipotimia, quæ frequentiùs accidit sanguinis missione ex basilica, id omninò confirmat.

PARA-

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In quo aliæ objectiones ſolvuntur.

QVartum Adverſariorum argumentum tale eſt: Numquam inchoari debet alicujus morbi curatio particulari aliqua evacuatione; ſed ſemper univerſalis debet præcedere; at venæ ſectio ex pede eſt evacuatio particularis, ut docent Rondeletius, Fernelius, & alii: ergo non debet inchoari aliqua curatio, venæ ſectione ex pede.

Ad hoc reſpondetur: quòd Rondeletius, Fernelius, & alii doceant venæ ſectionem ex pede, eſſe particularem evacuationem in phlegmone partium ſupernarum, vel cùm materia morbifica eſt in venis ſuperioribus, & ſic phlebotomia ex baſilica poſſet etiam dici particularis evacuatio in phlegmone partium infernarum: par enim eſt ratio. Ægrè admodum omni ex parte extinguetur inflammatio partis alicujus inferioris per baſilicæ ſectionem, præſertim ſi phlegmon ſit in parte ventris interna.

Ea de cauſa frequentiùs curatio per ſaphenæ ſectionem eſt inchoanda; quia ſæpiùs ſupernarum partium contingunt inflamma-

tiones per infernarũm ſimpathiam. Rariùs autem oritur phlegmon partis alicujus inferioris per conſenſum ſupernarum. Itaque ſtatuendum, venæ ſectionem ex pede eſſe tam benè univerſalem evacuationem, quàm ex brachio. Dicunt ſiquidem Galenus *lib.* 4. *de ſanguinis miſſione cap.* 16. *Ex qualibet ſecta vena totum corpus exoneratur.* Et poſt eum Fernelius *cap.* 7. *lib.* 2. *methodi medendi: Plenitudo, cui nullius partis affectio aſſiſtit, qualibet ex ſecta vena, citra delectum detrahitur.* Inſuper medicorum ſcriptorum plurimi, morborum multorum jubent inchoare curationem per venæ ſectionem ex pede; immò in ſupernarum partium inflammationibus. Ita Arabes ferè omnes decreverunt. Meſue *cap. de pleuritide* ait: *Ubi maxima eſt plenitudo, jubemus phlebotomari ex ſaphena partis oppoſitæ: eſt enim ejus juvamentum ſublime, & feſtinum.* Idem decretum ſequuntur Aſelius, & alii paulò infra citandi, ut & Riolanus, qui ita exprimit. *Cognoſces quantùm utile ſit lumbis cucurbitas adhibere cruentas, & de pede ſanguinem detrahere, inchoante pleuritide.* Ex his evidentiſſimè infertur ſanguinis miſſionem ex pede non eſſe particularem evacuationem, cùm receptum ſit in praxi inter medicos, evacuationem univerſalẽ debere ſemper præcedere particularem.

Objiciunt

Objiciunt quintò Adversarii, venæ sectionem ex pede in viris rejiciendam, ut omninò inusitatam, sed maximè in febrium curatione; nam si praxi arrisisset, jam dudum in usu foret.

Ex ante dictis falsam hanc esse objectionem, fit satis manifestum; quandoquidem in pede phlebotomiam practicavere Antiquiores, & Moderni, ut videbitur inferiùs. Annuimus quidem hanc praxim non ita frequentem fuisse; sed cùm veritatem tempus aperiat; & successum experientia manifestet, cur modò eam rejiciamus, non video. Verùm, ut ut infrequens fuerit, attamen hodie ab omnibus hoc remedium admittitur, non modò Tornaci, sed etiam Insulis, Ipris, Cameraci, Namurci, Bruxellis, & ubique. Faténturque Chyrurgi istarum Civitatum se multò frequentiùs vocari pro saphenæ incisione, quàm pro basilicæ.

Ratio autem cur nunc temporis solitò frequentiùs fiat istius venæ sectio, hanc esse existimo: focus putredinis non semper uno, eodemque in loco accumulatur; aliis fortè temporibus deprehensus est à medicis alicubi supra jecur, vel in venis cordi proximis delitescere, ideoque superiores venas judicarunt debere aperiri. Nunc verò cùm hæ febres quodammodo epidemicæ, circa lumbos,

bos, vel in venis majoribus lumbos, viſcera naturalia, & meſenterium peragrantibus vagari deprehendantur, propterea tentatum eſt eas debellare per ſaphenæ ſectionem. (rarò enim antea in febribus continuis de tanto lumborum dolore viri, & juvenes conquerebantur) In initio ſiquidem, cùm graſſare hæ febres inciperent, animadverſum eſt, quòd feminæ faciliùs evaderent, quàm viri, quia illis ratione menſtruorum venæ ſectio ex pede frequentiùs præſcribebatur. Et cùm viros lumborum cruciatus, ventris tormina, hyppocondriorum diſtentio, & diarrhea cum febre continua adorirentur, quæ focum putredinis ſub jecore eſſe detegebant; ideò conſultum fuit ad venarum infernarum apertionem devenire; præſtanſque eſſe remedium comprobavit eventus.

Et fortè antea febrium focus etiam aliquando ſub jecore deliteſcebat; ſed medici (quibus utilitas miſſionis ſanguinis è ſaphena non ita innotuerat) ſolitam medendi rationem immutare noluerunt. Quorum veſtigiis inhærentes moderni plurimi, nulla indicatione ſumpta à juvantibus, & lædentibus, gregum more, quò itur, viam capeſſunt, non quò eundum eſt.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

In quo argumentis, & rationibus antedicta confirmantur.


Ibros Moyses Geneseos de mundi origine Aristoteles cùm evolvisset, fertur dixisse: *Hic multa refert, sed nihil probat.* Et ne aliquis idem mihi possit obtrudere; argumentis quibusdam, nonnullisque auctoritatibus ante dicta stabilire conabor.

Primò: illa evacuatio melior censetur, qua sanguis, & alii succi in venis contenti promptiùs vacuantur: sed sanguis ipse, & ceteri humores cum eo permixti, cùm sint graviores, & deorsum magis ruant; per partes inferiores promptiùs vacuantur; ergo.

Secundò: illa evacuatio magis est amplectenda, in qua vires minùs debilitantur; sed in sectione saphenæ hoc contingit: ergo. Major patet. Minor probatur ex antedictis *cap. 2. paragr.* 1. item Galeni auctoritate *lib. de renum dignosc. & curat. cap* 4. qui in robustis secat venam brachii, in debilibus venam

venam pedis. Id quod Avicenna apertè confirmat *lib.* 4. *cap.* 20. his verbis: *Et scias quòd sectio tali, minùs debilitat, quàm basilicæ.* Siquidem vena Cava ascendens per anastomoses tantum habet cum magna arteria commercium, ut dum per basilicam exoneratur maxima spirituum fiat deperditio.

Tertiò: illa est æstimanda sanguinis evacuatio, quæ fit per partes latissimas, & venas magis amplas: at rami venæ cavæ descendentes tales sunt: ergo. Minor probatur ex Galeno 1. *epid. sect.* 2. *com.* 20. ubi dicit, quòd inferiores venæ sint amplissimæ.

Quartò: numquam sunt attrahendi peccantes humores à partibus minùs nobilibus ad nobiliores; ergo præstat phlebotomiam facere ex venis pedum; partes enim nobiliores sunt versus superiora, ut cor, pulmo, cerebrum, &c.

Quintò: quando morbus indicat venæ sectionem ea administrari debet ex ea parte, à qua nullum potest timeri discrimen: sed aliqua noxa potiùs contingit à sectione basilicæ: ergo præstat ad saphenam recurrere. Major patet. Minor probatur. Basilicæ sectio sæpissimè excitat metastases, & saphenæ sectione eæ sistuntur, ergo. Probatur ex Galeno de curatione per venæ sect. *cap.* 19. ubi ait:

ait: *Quæ ex cubito fiunt evacuationes hoc habent adjunctum malum; nempe quòd menstruas purgationes comprimant, sanguinémque ad superiores corporis partes retrahant.*

Sextò: putridi humores sanguini permixti, per venas furiosè debacchantes, motu depravato partes versus principes ruere consueverunt; sed præsertim, si tantilla attractione excitentur basilicæ sectione: ergo præstat eos per venæ sectionem ex pede, revellere. Probatur: putredo in venis majoribus continuò cor afficit, & suapte natura, & qualitate maligna ad cerebrum, vel aliud nobile viscus impetuosè fertur, ut ibi inflammationem, & postea abscessum procreet, quod impediri vix potest, nisi phlebotomia ex pede; nam si fiat ex brachio, ut plurimùm iste motus depravatus concitatur, qui si impediri possit, infallibiliter morbus superabitur, ordinaria etenim interitus causa in febribus continuis, sunt internæ inflammationes, & abscessus; raró autem admodum virium defectus. Itaque peccantes humores, qui depravatè moventur, incessanter partes in contrarias trahendi, & revellendi, juxta Galeni doctrinam lib.de curat.per venæ sect.cap.15. ubi dicit: *Podagricos ex cubito evacuato, comitialibus verò morbis vertiginibusque, obnoxios, qui morbi sunt capitis, potiùs ex cruribus.*

Septimò,

Septimò, humorum corruptio frequentiùs, & ferè ſemper contingit infra jecur, in venis nimirum meſentericis, liene, pancreate, circa inteſtina, renes, matricem, &c. quæ ab omnibus ſentina corporis cenſentur propter excrementorum omnium illac tranſitum; in iſtis enim locis concepta putredo citiùs ſerpit in venas Portæ & Cavæ deſcendentes propter viciniam, & venarum iſtarum anaſtomoſes illic deſinentes, quàm in venas Cavæ aſcendentes: ergo multò præſtat ab injecto clyſtere, ſtatim inchoare curationem per phlebotomiam ex pede, ad revulſionem humorum putridorum, ne in venas cordi proximas rapiantur: quod maximo ægrorum detrimento ſæpè contingit, dum per baſilicæ ſectionem incipitur curatio: & hoc ferè ſemper in feminis, & puellis palpabiliter illicò deprehenditur, quando eis in morborum initiis fit baſilicæ, vel alterius venæ ſuperioris apertio.

Quod numquam niſi cum magna præmeditatione faciendum: Vel enim eis inſtant, vel fluunt menſtrua, vel omninò ſupprimuntur, vel ſtatis temporibus parcè fluunt, vel in fluxus declinatione invadit morbus, & in iſtis omnibus caſibus, nefas eſt devenire ad ſectionem baſilicæ, niſi priùs per repetitas infernarum venarum phlebotomias, truncus

venæ

venæ Cavæ descendens sufficienter fuerit exinanitus. Immò in iis, quæ statis temporibus optimè, & ritè repurgantur, & quamvis non sit circa menstruæ purgationis periodum, non tutò in febrium initiis devenitur ad basilicæ sectionem, nisi saltem semel fuerit aperta saphena. Nec hanc censeo praxim mutandam ob adjunctum partis alicujus superioris phlegmonem, si ægra appareat plethorica. Qua de causa explodendam, & qnasi perniciosam omninò abjiciendam censemus aliquorum medicorum doctrinam, qui docent in curandis partium supernarum phlegmonibus citissimè ad basilicæ apertionem (spretâ ex saphena revulsione) esse recurrendum, *immò lochiis feminarum nuper enixarum fluentibus*. Quo dogmate non paucas, ab eorum sequacibus in sepulchrum detrusas vidimus ejusmodi mulieres.



PARA-

Paragraphvs secvndvs.

In quo antedicta Veterum, & Recentiorum auctoritate firmantur.

OBjiciunt Adversarii: Si hoc genus remedii esset amplectendum, multi medicinæ scriptores eam quàm maximè commendassent: sed pauci sunt, qui de eo mentionem faciant: ergo, &c.

Ad hoc respondemus: quamquam multi sint qui hoc præcisè non indicarint, nulli tamen eorum id improbant quasi nocivum; sed id Medici arbitrio relinquentes sanguinem esse mittendum judicant, at sine venæ delectu. Sciunt etenim unum ex præcipuis medicinæ fundamentis esse, & à nullis medicis ignorari debere: nempe quòd si minera morbi sit infra jecur, sanguinem ex pede esse mittendum; si supra jecur, ex brachio. Talis fuit mens Hippocratis diversis in locis, ut Galenus insinuat *lib. 6. aphorismo* 36. & maximè *libr. 6. epid. sect. 2. com.* 14. ubi ait: *Didicistis autem aliàs, membra quæ supra jecur sunt, vacuationes per partes supernas expostulare: quæ inferiora sunt, per partes infernas: nam superiorum inferiorúmque omnium*

nium corporis partium, jecur terminus est.

Immò Galenus passim metu metastaseos ad venæ sectionem ex pede recurrit revulsionis gratiâ, etiam cùm materia errat vagabunda in venis superioribus.

Instant Adversarii, quòd ex Galeni auctoritatibus citatis sequatur, sæpiùs deberè fieri venæ sectionem ex brachio, quàm ex crure; sæpiùs enim contingunt cruditates procreari, & accumulari in ventriculo propter ingluviem, & depravatam concoctionem, quàm in partibus inferioribus, sed ventriculus est supra jecur; alimentum siquidem priùs in ventriculo præparatur, postea per pylorum in intestina gracilia, & in jecur per mesaraicas descendit: ergo, &c.

Posset major ex parte negari: procreantur quidem cruditates in ventriculo sed raró inibi accumulantur, & corrumpuntur; at cum chylo continuò delabuntur, nisi in villis & tunicis ventriculi inclusæ sint, & tunc non febrem, sed singultum, nauseam, cardialgiam, & similes affectus producunt. Verùm ad minorem transeamus, distinguendo: ventriculus secundùm superiorem sui partem, stomachum nempe, vel ventriculi os superius, situ est supra jecur, conceditur: secundùm autem ejus fundum, negatur. Si autem aliquid in ventriculo de-

tineatur, corruptionemque inibi concipiat; hoc in fundo ejus contingit. Verùm demus totum ventriculum situ esse supra jecur; debet tamen cum inferioribus numerari; cùm venæ, quibus nutritur, à venis Portæ ducant originem; Coronaria quippe stomachi, quæ ipsius os superius amplectitur, & pererrat, à trunco venæ Portæ prosilit, ut & Gastrica major, & minor, nec non vas breve, totum reliquum ventriculum foventia, & nutrientia à venis splenicis, quæ venæ Portæ rami sunt, oriuntur. Et cùm truncus venæ Portæ sub jecore variè suos dispergat ramos, qui per anostomoses multiplices cum ramis venæ Cavæ descendentibus junguntur; sequitur quòd ad exonerandas ventriculi venas, venæ sectio ex pede sit anteferenda.

Antedicta firmantur auctoritatibus passim supra citatis ex Hippocrate, Galeno, Avicenna, Mesue, & Arabibus pænè omnibus. Sed insuper sunt non pauci ex Neotericis non infimæ notæ Medici scriptores, qui hanc eandem nostram confirmant sententiam, ut Massarias, Horatius, Angenius, Trincavellius, Gavassetius, Zacutus Lusitanus, Gardinus, & alii. Ast super hac re audiamus Danielem Sennertum *lib.* 2. *cap.* 6. *de febribus continuis*, ubi sic habet: *Major*

jor verò est utilitas venæ sectionis in pedibus, præcipuè si simul revellendum sit; nam si vires sint debiles, & materia caput petat, & capitis dolor, & vigiliæ infestent, commodissimè, & cum summa utilitate vena in pede aperitur, quæ evacuat, revellit, viresque minùs dejicit. Ipsius verba ipsissima sunt. Ea de causa non pauci consulunt in omni febre putrida, comitante plethorâ, esse inchoandam curationem phlebotomia ex pede, ne quid impuri versus cor, ceterasque partes tum vitales, cum animales trahatur. Quamvis phlegmone supernarum partium aliqua, ut peripneumonia, pleuritis, angina, phrenitisve comitetur; ut revulsio à quàm longissima parte fiat. Sed eodem die, si malum urgeat (inflammatio nempe partis superioris) basilicæ apertio fieri convenit.





CAPVT QVARTVM.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

In quo agitur de Sectione Saphenæ in gravidis.



Anti facit phlebotomiam ex pede Zacutus Luſitanus, ut eam non vereatur conſulere, etiam in utero gerentibus, & quamvis acriter in eum invehatur ea de cauſa Nicolaus Fontanus; attamen frequenti experientiâ reperimus eum agendi modum multò tutiorem eſſe, quàm huc uſque à medicis creditum eſt: & rariùs abortire feminas in febribus continuis, ex ſaphenæ inciſione, quàm ex baſilicæ, dummodò ita larga non ſit evacuatio, & per repetitas vices epicraticè ſanguis eventiletur, & refrigeretur, ad quinque nempe ſexve uncias una vice. Verùm cùm magna adeſt plethora, præſtat omnium primò levem phlebotomiam fieri ex brachio, & poſtea ex pede, ne ſupernarum venarum ſanguis cum impetu matricem verſus feratur, trahatúrve.

Ratio autem cur venæ ſectio ex pede, majoris

majoris ſit levaminis prægnantibus, quàm ex brachio, hæc eſt: Phlogoſis circa uterum enata citiùs diſſipatur venæ ſectione è talo, quàm ex baſilica: phlogoſis quippe vel cacochimia in venis utero vicinis, vel in ipſo utero, abortus cauſa frequens eſt; facilè enim fœtui per funiculum propagationis communicatur, eumque eodem afficit morbo. Sed qua, quæſo, de cauſa tam funeſta cenſetur febris continua prægnantibus, niſi ex iſtius circa uterum phlogoſis, vel cacochimiæ inadvertentia; quæ raro baſilicæ ſectione propter loci diſtantiam tollitur?

Malè profectò cum pleuriticis ageretur, ſi ſemel tantùm, aut ad ſummùm bis ſanguis mitteretur ex malleolo; numquam enim inde poteſt mitigari inflammatio pleuritica, niſi fiat per ſympathiam partis inferioris. Si autem partis alicujus ſuperioris inflammatio, poſt factam revulſionem ex viciniore parte, evacuationem poſtulet; quare idem non fiet reſpectu uteri? Nec enim plus confert uteri morbis poſt factam revulſionem ſectio baſilicæ, quàm ſectio ſaphenæ ſupernarum partium affectibus. Sed huc uſque tanta medicis fuit anilis timiditas, ut ægrè adducantur ad venæ ſectionem in gravidis, propter metum abortus. Et

quod tanto ſtudio evitare contendunt, per parciorem ſanguinis evacuationem accelerant; ac ſi venæ ſectioni parcendo, apoſtema evitaretur pleuriticum; nullum etenim tollendæ inflammationis efficacius ſuppeditatur remedium, quàm larga venæ ſectio. Si quod autem liberalioris phlebotomiæ ſit contraindicans (ut imprægnatio, virium defectus, &c.) epicratica celebretur.

Quapropter in gravidis facta ſemel ex brachio venæ ſectione ad uncias ſeptem, aut circiter; optimum erit ad ſaphenam recurrere, ex qua ſex, aut ſeptem unciæ poterunt evacuari, ut ex loco viciniore citiùs inflammatio tollatur. Si poſt primam parciorem ex pede venæ ſectionem, non mitigetur oppreſſio, cum fiducia repetatur. Niſi enim ſectione ſaphenæ circa uterum phlogoſis tollatur, abſque dubio continget abortus. Iſto autem ſolo remedio & fœtus & prægnans levantur, recreantur, ſalvantur.

PARA-

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In quo argumenta in contrarium adducuntur & solvuntur.

AD majorem hujus materiæ dilucidationem juvat Nicolaum Fontanum audire, doctrinam Zacuti Lusitani oppugnantem. Primò dicit quòd in febribus, Apoplexia, Epileptia, aut uteri strangulatu, si fieri debet phlebotomia in gravidis, debet fieri ex parte magis tuta, & ex loco unde vires minùs exhauriuntur: sed phlebotomia ex brachio habet has commoditates; ergo.

Major conceditur, minor autem negatur, & ex ante dictis *paragr.* 1. *cap.* 2. & *paragr.* 1. *cap.* 3. hujus tractatus facilè dissolvitur, atque refutatur. Immò quasi impertinens, respectu præsertim uteri strangulatus, omninò rejicitur. Quia si quid urget venæ sectionem ex pede in prægnantibus, est ipse strangulatus uteri.

Prima etenim histericæ passionis indicatio, est saphenæ incisio in non prægnante, & qui in isto affectu basilicam aperiunt, malum augent, contra artis principia operantur,

tur, suamque manifestant imperitiam. Immò, si non prægnans, isti affectui obnoxia aliam ob causam in brachio phlebotometur, citò iste concitatur affectus, quamvis à longo tempore, illius paroxismum non senserit; estque iste affectus nominatim, qui medicos compulit, ad saphenæ sectionem in prægnantibus devenire.

Secundum Fontani argumentum, tale est: ex illa parte in gravidis facienda est sanguinis missio; ex qua non potest timeri abortus: sed ex sectione saphenæ certum sequitur abortus periculum: ergo ea in gravidis est interdicenda.

Si major omninò concedenda foret, sequeretur quòd ex nulla parte fieri posset in gravidis venæ sectio: vidimus siquidem non rarò, immediatè post basilicæ sectionem, abortum contigisse: Sed minor absolutè negatur: non enim magis certò sequitur per sectionem saphenæ abortus, quàm post sectionem basilicæ, præsertim in febribus continuis. Præterquam in magna plethora, (ut dictum est superiùs) in qua totus supernarum partium sanguis inferna evacuatione motus, posset cum impetu matricem obruere, & abortum causare; quod non continget si levis ad revulsionem priùs fiat basilicæ sectio. Millies enim contigit videre

dere tum nuptas, cum liberas, quibus post ex pede phlebotomiam, nullus subsecutus est abortus; etiamsi nulla præcessisset ex brachio revulsio.

Suum firmat argumentum Fontanus auctoritate Hippocratis, qui *lib. 6. aphor. 31.* interdicit sanguinis missionem in gravidis, quia movet & agitat.

Sed respondemus Hippocratem venæ sectionem interdixisse in gravidis ex quacumque parte, nullâ mentione factâ de saphena. Ea de causa dicit Corn. Celsus agens de venæ sectione: *Siquidem Antiqui primam, ultimámque ætatem sustinere non posse hoc auxilii genus judicabant, persuaserántque sibi, mulierem gravidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò usus ostendit, nihil ex his eße perpetuum, aliásque potiores observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat: interest etenim, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint, &c.*

Tertium Fontani argumentum sic habet: Quidquid movet menstrua, abortum facere potest: sed venæ sectio ex pede movet menstrua: ergo, &c.

Quamquam hoc Adversarii argumentum, Achilles ejus videatur, tamen captio-

sum

ſum omninò eſt. Quare major diſtingui debet: Quidquid leviter movet menſtrua abortum facere poteſt; negatur; plurima enim ſunt quæ menſtrua movere apta ſunt, quæ tamen quotidie à prægnantibus aſſumuntur in eduliis, ut folia macis, nux moſchata, crocus, piper, cæpe, allium, apium hortenſe dealbatum, &c. quæ tamen minimè obortire faciunt. Fortiora, & in magna quantitate exhibita menſes moventia, abortum facere poſſunt: concedo. Poſſunt quidem aliquando, ſed non infallibiliter: plurimæ enim puellæ imprægnatæ fortiſſima ejuſcemodi pharmaca deglutiunt, ut embrionem poſſint abjicere, ſed ſæpiſſimè intentione fruſtrantur. Aſt venæ ſectio ex pede movet menſtrua: ſi admodum larga fiat concedo, cùm autem epicratica celebratur, Nego.

Infert: ergo venæ ſectio ex pede abortum cauſare poteſt.

Reſpondetur idem poſſe accidere per baſilicæ ſectionem, ſi largior fiat.

Inſtat Adverſarius: etiam parca ex pede phlebotomia abortum poteſt excitare. Probatur: citiùs menſtrua proliciuntur parciore phlebotomia, quàm liberaliore; quia largior ſaphenæ ſectio fluentia menſtrua ſæpè cohibet. ergo.

Reſpondeo

Respondeo negativè. Nisi enim aliquod concurrat contra indicans venæ sectioni, ut summa imbecillitas matris, aut infantis, rarò parca ex pede venæ sectio abortum excitabit. Nec verum est citiùs excitari menstrua parciore, quàm largiore phlebotomia, nisi actu fluant; cùm autem fluunt, liberalior ea derivando aliquando cohibet. Quemadmodum pharmaca, quæ menses movere apta sunt, nisi validiora, abortum non excitant. Pari etiam ratione, nisi largiori ex saphena evacuatione abortus non continget. Faciliùs enim multò remorata moventur menstrua, cùm sit evacuatio naturalis, quibus oppressa natura continuò satagit ad expulsionem, levique sæpè adjuta auxilio inutilia extrudit excrementa: abortus verò cùm sit contra naturam, non nisi insuperabili contingit violentiâ. Vterus quippe cùm sit primordii hominis palatium, tutissimo eum munimento vallavit Providissimus naturæ Opifex, ne levi injuriâ embrio inde possit exturbari. Nam ut dicit Galenus *lib.* 14. *de usu partium: Collum durum, ac nervosum matrici indidit natura, ut conceptum animal non facilè decidat; sed tam arctè clauditur, ut ne minimum quidem aut intus foras laxet, aut foris intro recipiat.*

PARA-

PARAGRAPHVS TERTIVS.

In quo causæ frequentiores recensentur abortus.

QVartum Fontani argumentum sic incipit: Ex ea parte sanguis hauriendus, in qua adest major plenitudo. Transeat. Sed in vasis maximis inter alas, & inguina redundat sanguis, & non in uteri venis. Negatur. Amplissima etenim sunt uteri vasa, præsertim in prægnante, ubi omnia circa uterum ampliora fiunt. Nam membraneum ventriculi corpus, cùm ex saturitate nimia quasi crepat, ac distenditur; ex hac distensione magis redditur tenue & minùs spissum. (incredibile quantùm nimia ventriculum debilitet satietas; qua de causa sanitati magis conducit duos aut tres pastus uno die facere, quàm in uno supra modum satiari) Ast contrarium omninò imprægnatæ contingit matrici, quæ quò magis fætus augmento distenditur, eo ejus spissiosior, & magis crassa fit membrana, cum qua omnes venæ, omnesque dilatantur arteriæ.

Ea de causa, si quæ sit plenitudo in gravidis, circa uterum potiùs restagnat, quàm alibi.

alibi. Tum quia ſanguis cœco naturæ ductu, cùm abundat, matricem verſus potiùs fertur, quàm ad alias partes, conſervandi, & nutriendi fœtus gratiâ; tum quia per iſtas partes ſingulis menſibus ſe exonerare eſt aſſuefactus.

Inſtat quintò Fontanus: Etiamſi prægnantis affectus ſectionem indicet ſaphenæ, magis tamen attendendum eſt ad fœtus conſervationem, quàm matris.

Quod negandum omninò putamus: hac enim extincta fœtus evadere minimè poteſt, vel ſaltem rariſſimè: ſed per abortum ſæpè mater ſervatur. Vnde licitum eſt in periculoſo morbo adhibere medicamenta directè ſanativa matris, licet per accidens, & indirectè ſequatur abortus.

Zacutus Luſitanus non ſolus eſt, qui ſaphenam ſecat in gravidis, ſed ſcriptores Itali ferè omnes hoc docent, decretumq́ue eſt inter eos, immò quaſi ſancitum: quòd ſi mulierem gravidam in ultimis ſuæ gravidationis menſibus, fortis invadat morbus, debere uno eodemq́ue tempore ex ſaphena & baſilica phlebotomari: idq́ue ut ſaphenæ inciſione impediatur aſcenſus impuritatum & lotiorum circa matricem reſtagnantium: baſilicæ verò apertione, ſuperabundans retineatur ſuperiorum venarum ſanguis, ne matri-

matricem versus, saphenæ apertione cum impetu ruat attractus. Et hunc agendi modum Forestus in suis observationibus mirum in modum extollit, & se cum laude sæpiùs id factitasse gloriatur.

Ego ipse non paucos vidi medicos taliter optimo cum successu practicantes: & annos triginta hanc praxim secutus, vix ullum inde expertus sum contigisse abortum. Vidi equidem (ut verum fatear) non paucas post incautam venæ saphenæ incisionem, abortum passas, cùm largior facta fuisset, quia non putabantur imprægnatæ, sed suprascriptis cautionibus observatis, paucas.

Ea de causa planè existimo, firmiterque mihi persuadeo, abortum in febribus non causari à venæ sectione, sive in pede fiat, sive in brachio, nisi ea facta sit incautè admodum larga. Causas septem sequentes potiùs inculparem: Primò, ipsius febris malignitatem. Secundò, phlogosim inflammationémve uteri, vel ejus in vicinia. Tertiò, cacochimiam in ipsis uteri vasis. Quartò, ægritudinem ipsius fœtus. Quintò, ipsius uteri infirmitatem. Sextò, ejus matricis nimiam humiditatem, qua ejus ligamenta citò resolvuntur. Septimò totius prægnantis imbecillitatem. Hocque insinuare Celsus visus est his verbis: *Si juvenis imbecillus est,*

est, aut si mulier, quæ gravida non est, parùm valet, malè sanguis mittitur: at firmus puer, & robustus senex, & gravida mulier valens, tutò isto remedio curantur.



CAPVT QVINTVM.

In quo experientiæ Primatus tribuitur.

SEd quorsum plura, cùm experimentum pro nobis militet, quod omnibus argumentis & rationibus fortius habetur, & certius. Et ut dicit Andreas Trevisius: *Firmatur quidem judicium ex adæquatis in medicina rationibus; sed rationes in praxi medica, propter conjecturas & varias occasiones, experientiam non rarò habent castigatricem.* Vidimus enim sæpissimè feminas utero gerentes acuta febre correptas à phlebotomia ex basilica pejùs habuisse, & easdem ex sectione saphenæ reïterata citò recreatas, & absque fœtus detrimento liberatas, nec aborsum passas: sed & multas cernere licuit à venæ sectione ex brachio extinctas cum fœtu, vel illicò abortivisse. Quin & innumeros aspeximus viros, ac juvenes ex secta saphena convaluisse, & non paucos à prima

à prima venæ ſectione, eos præſertim, quos cum ſummo lumborum cruciatu invaſerat morbus. Et ferè omnes taliter affecti, quibus poſt injectum clyſterem inciſa primo morbi die fuit ſaphena, ante diem tertium convaluerunt.

Verùm ſi viris & juvenibus ſectio ſaphenæ ſit tam proficua & ſalutifera, feminis ac puellis eſt longè magis neceſſaria: latiſſimas quippe ampliſſimaſque habent venas deſcendentes, & maximè circa uterum, propter aſſuetum fluxum menſtruum, qui ſuo motu alios etiam humores eò allicit, ducit, impellitque. Quî fit, ut ferè ſemper minera ægritudinum in eis verſus iſtam partem ſit quærenda.

Quapropter majorem ad ſecuritatem, in omnibus puellarum, ac mulierum morbis per ſectionem ſaphenæ ſatiùs eſt inchoare curationem, quando phlebotomiam morbus indicat; præſertim cùm vaga adhuc eſt in venis materia morbifica, & necdum alicui parti ſuperiori adhæret per inflammationem. Tuncque bis, vel ter ad ſaphenæ ſectionem deveniendum, niſi aliqua cauſa urgens aliter indicet. Vidimus namque non rarò in optimè repurgatis & longè à menſium periodo, poſt duas aut tres ex pede venæ ſectiones, cùm deventum fuiſſet ad

basilicæ apertionem, ob urgentem capitis dolorem, aut simile quid; illicò metastasim inductam.

Si autem in benè repurgatis & longè à mensium periodo (id est à quarto die post fluxum menstruum usque ad sextum ante sequentem periodum) inflammatio partis alicujus superioris contingat, facienda saltem semel in initio phlebotomia in crure, & si aliquod inde levamen non perceperit, statim ad basilicæ sectionem recurrendum. Si verò inde meliusculè habere videatur; signum est membrum mandans versus inferiora situm, & recipiens per sympathiam affici, idcircò si aliquid adhuc faciendum veniat, à juvantibus, & lædentibus sumenda est indicatio.

Præfatam autem praxim sequendam omninò existimamus à decimo tertio ætatis anno, usque ad quinquagesimum quartum aut quintum. Circa istam ætatem etenim in juvenculis venæ uteri, & partium vicinarum turgescunt & dilatantur, sanguisque abundantior eò mittitur. Vnde tunc pleræque, vel paulò post menstruas patiuntur purgationes. Et quamvis circa quinquagesimum & ante ordinario naturæ cursu, menstrua non ampliùs prodeant, nihilominus fœculentior massæ sanguineæ pars ob assue-

factionem & loci capacitatem, adhuc matricem versus fertur & amandatur, quæ exitum non inveniens ibi incalescit vaporesque pravos ad superiora mittens, vetulas variè afficit: donec per ętatem provectiorē, minùs sanguinis natura procreet, exitumque istâc ampliùs non inveniens, inveteratam paulatim amittat consuetudinem.

Ratio autem cur in optimè repurgatis non debeat fieri phlebotomia in brachio immediatè post menstruam periodum, sed ad minimum debeat quatuor dierum spatium expectari, hæc est: superabundans sanguis, quem natura uterum versus detruserat ad menstruam purgationem moliendam, totus non egreditur, at semper remanent reliquiæ, quæ basilicæ apertione trahuntur superiùs & morbosam inducunt dispositionem.

Quemadmodum enim bilis aliusve humor peccans, qui diarrheam in benè valente procreat, per diarrheæ fluxum non semper totus egreditur; sed ut plurimùm remanent reliquiæ, quæ ni expurgentur, febrem, aliumve parient morbum (ut quotidianâ patefit experientiâ) quando enim expultrix non ita stimulatur ab abundantia, reliquias despicit & retinet, at medicus naturæ minister, quæ ab ea negliguntur, debet complere.

Sic

Sic ſanguis per menſtruas purgationes in matricis viciniam raptus, demptâ per menſtruam purgationem abundantiâ, expultricem non ampliùs ſtimulat, ſed ibi reſtagnat, donec ſenſim à natura in venas majores diſpergatur. Vtpote qui nec corruptus eſt, nec expurgari poſtulat, ſicut humor relictus à diarrhea.

Si verò baſilica aperiatur imminentibus menſtruis, motus menſtruus impedietur, revelleturque & identidem tali errore ad plures menſes retardabitur maximo ægrarum detrimento.

Lactantibus etiam non proficuè mittitur ſanguis ex brachio, niſi præceſſerit ſaphenæ apertio, vel ſingulis menſibus ritè repurgentur, quod tamen non adeò frequenter accidit. Vbi verò ſingulis menſibus menſtruas non patiuntur purgationes, magna ſuperfluitatum circa matricem accumulatur copia ex ſanguine in lac convertendo ſegregata, quæ baſilicæ inciſione ſurſum attracta partibus nobilioribus nocumento foret.



CAPVT SEXTVM.

In quo antedicta dilucidantur.

VErùm enim verò quamquam huc usque summam saphenæ sectionis in febribus utilitatem depredicaverimus, omnibus tamen eam convenire nequaquam censemus. Cùm enim humor peccans in venis superioribus aliqua phlegmone afficitur, omnibus eam nocivam asserimus, plethoricis exceptis, & iis, quibus solemnis aliqua solita evacuatio suppressa est, v. g. inveteratum tibiæ ulcus multum pus fundens, fistula ani, vel partis alterius inferioris, hemorrhoides, menstrua, &c. Sciendum tamen est quòd plethoricos præsertim febris adoriatur, & quòd admodum rarò accendatur febris, ubi plethora non reperitur, si non ad vasa, saltem ad vires.

Medici quidem non pauci in præsentia inveniuntur, qui quotidianâ observatione summam saphenæ sectionis utilitatem demirati, avidè eam in praxim adduxerunt; sed aliquid adhuc veteris erroris retinentes, se inculpatè ad saphenæ sectionem in viris accedere

accedere non posse existimant, nisi priùs basilicam secuerint. Quibus innixi rationibus, ignoro. Sed attentâ revolvant sedulitate ea, quæ hac de re superiùs diversis in locis adduximus. Nam cùm (ut plurimùm) focus putredinis sub jecore incipiat, & inde toto generi venoso communicetur, quare in initio per revulsionem è saphena, ista non impediatur aut retardetur communicatio, quæ per basilicæ sectionem potiùs acceleratur?

Certè si in pleuritide, primò ejusdem lateris secaretur basilica, postea ad saphenam lateris oppositi deveniretur, ista praxis censeretur præpostera & deformis. Pari igitur ratione in febribus continuis (ubi nondum defixa est inflammatio) præstat saphenam primò secare, deinde basilicam: præterquam in prægnantibus, in quibus basilica priùs secanda, deinde saphena, ut superiùs demonstravimus. Et quamvis Domini Zacuti Lusitani de saphenæ sectione in gravidis doctrinam tueri ex ante dictis videamur; omnibus tamen & semper id præstare nullo modo putamus, sed tantùm eis, quæ acuto morbo laborantes, phlogosim, inflammationémve, seu cacochimiam circa uterum, vel in uteri venis patiuntur, vel alium quemlibet affectum, qui eas in mortis discrimen posset inducere. Sed quæ in

apyrexia versantur, præstat ex brachio phlebotomari, exceptis tamen eis, quæ ab uteri consensu, subitâ corripiuntur orthopneâ. Sæpiùs namque saphenam gravidis aperire jussi, (nulla ex brachio præmissâ phlebotomiâ) quæ absque febre sanguinem per tussim expuentes gravitate anhelitus premebantur, & absque abortu, & nullo fœtus detrimento, sanitati illicò fuerunt restitutæ.

Quamquam cunctos, & singulos medicæ praxi insudantes, maximè circumspectos exoptem in saphenæ prægnantium incisione: libuit tamen toto capite 4. hujus opusculi aliqua argumenta, nonnullasque rationes adducere: ut neminem fugiat, majori cum securitate ad saphenæ sectionem in gravidis accedere licere, quàm huc usque medici crediderint licitum esse.



CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

PARAGRAPHUS PRIMUS,

In quo ambigitur utrum in fluore alui simpthomatico licitum sit ad phlebotomiam devenire.

SEd & alij insuper in praxi contingunt casus, qui non parvum medentibus facessunt negotium, medicosque dubios, & ancipites sæpè reddunt. Primò, ambigitur inter medicos, dum febris cum alui fluore incipit (colerâ exceptâ) utrum sanguis sit mittendus. Aliqui ne ægros magis debilitent, malunt totum naturæ committere negotium. Alii epicraticè purgant cùm rheo & syrupo rosarum solutivarum. Sed fluor iste cum ab icore pravo, & mordaci expultricem stimulante, qui continuò ex venis detruditur in intestina, originem ducat, debet contemperari sanguis, reiteratâ, sed parcâ venæ sectione. Primò ex pede (iste enim fluxus denotat scaturiginem putredinis esse sub jecore) deinde ex brachio. Nisi enim sanguinis effervescentia sufficienter phlebotomiâ

miâ impediatur, malignitatem concipiet, & acrior evadet; unde fluor magis irritabibitur, qui cùm sit symptomaticus causam adhuc crudam habens in venis, non potest tolli purgantibus; immò inde magis effrænabitur, efferabiturque, perniciosam inferens metastasim.

Ea de causa hoc documentum dedit Hippocrates: *Concocta medicari oportet, non autem cruda: in principio verò omnia sunt cruda.* Insuper purgantia omnia verè purgantia aliquid deleterii possident, quo vim inferunt naturæ; aliter non purgarent. Item sua caliditate, sanguinis augent effervescentiam, concoctionisque interturbant rudimentum.

At dicunt Adversarii, quòd quando purgantia in febrium initiis præscribunt, se in animo non habere causam febrium evellere conjunctam; sed antecedentem tantùm, nempe cruditates & inquinamenta primis in viis hærentia, quæ causam fovent conjunctam, eamque perpetuare faciunt.

Respondemus hanc praxim quandoque optimè succedere in intermittentibus, in quibus non ita metuuntur metastases, quia eorum causa magis est tenax, viscidaque, & cùm extra majores venas putrescat, raro ab uno ad alium locum transfertur. In continuis

tinuis verò, ubi putredo eſt in venis majoribus, ubi cauſa conjuncta non ita ſtrictè dependet nec fovetur ab antecedenti (ut in intermittentibus contingit) ubi materia eſt agilis & fluida, ſæviente febre vix unquam conducit, frequentiſſimè autem obeſt. Leviſſima ſiquidem agitatione, putridus iſte ſanguis, ut fera indomita debacchatur, & purgantia contemnens, non quò trahunt fertur, ſed in aliquod nobile viſcus impingitur, defigiturque: unde internæ inflammationes, & abſceſſus oriuntur, qui in febribus continuis ſunt cauſa mortis frequentiſſima.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In quo errores in purgantibus adminiſtrandis deteguntur.

PRofectò dictu incredibile eſt, quantam in pagis & civitatibus paſſim quotannis ſtragem edant medicamenta purgantia, præſertim fortia (iis autem libentiùs utuntur ſubnotandi, quia vilioris ſunt pretii) in morborum initiis exhibita à pharmacopæis, tonſoribus, Argyrtis, & mulierculis præſcripta, abſque ullo morbi temporum delectu,

ctu, sortem, non artem omninò sequentibus.

Cùm verò contra artis principia operantes, omnia in deteriùs adduxerunt, morbi sævitiam, malignitatémve accusant. Si abscessus autem interni indicium aliquod olfecerint, internum & exitiale apostema latere asserunt, atque adeò insanabilem ab initio morbum extitisse; cùm ipsimet exitium praxi præposterâ pepererint. Et sic illis impunè & necare, & trucidare permittitur. Cautum proinde est pluribus in locis sub gravi pæna, ne venenum in officinis veneat: & cùm fortia medicamenta venenosa sint, immò & venenis pejora; quia magis liberè assumuntur, nónne eorum venditio prohiberi deberet, nisi cum approbati, & licentiati scedulis medici; ne imprudentes & ignari suo morbo remedium quærentes, suum accelerent interitum?

Id quod, proh dolor! singulis ferè diebus videre contingit. Plebei siquidem homines vilioris pretii semper quærentes medicamenta, in sævioris morbi vigore adibunt pharmacopeæ officinam, petentque pro asse pulverem antimonii vitriati, vel gummi guttæ, Ialapæve. Ancilla sæpissimè propter heri absentiam, istorum pulverum thecas probè agnoscens (quia in usu sunt frequen-

frequentiſſimo) abſque hæſitatione dabit doſim ad libitum , & ut emptori poſſit gratificari , aliquid adhuc abſque munſura ſuperaddet , ac ſi tragea foret , aut cordialis aliqua ſaccarata confectio. Nonne cum tam ſedula diſpenſatrice , miſeri vita ægrotantis in tuto eſt loco? Id quotidie accidit, & tantus error abſque animadverſatione permittitur. Sed nimiùm frequens perpendite periculum.

Primò , febre deſæviente catharſis fortioris exhibitio , aut exitium adfert , aut longiorem parit ægritudinem. Secundò , expertiſſimi medici induſtria , & ſagacitas vix ſufficit ad juſtam purgantium doſim , & ægrotantis viribus , & complexioni omninò proportionatam præſcribendum ; & tyro novitius , vel trium ancilla dierum ægro non viſo juſtam doſim poterunt aſſignare? Nónne eſt ægrum ſorte in periculum conjicere evidentiſſimum? Tertiò , errorem popularem omninò cenſemus carpendum, quo plebs quotidie decipitur , cùm catharticum ſibi comparare cupit , petens per pretium , quod per pondus facere deberet : non enim pharmacopæi omnes medicamenta communi venundant pretio , unus altero vendit cariùs. E. g. habuit quidam diaphænici dragmas ſex pro tribus aſ-

ſibus,

ſibus, & quia iſto medicamento iſtius doſis purgatus eſt ſecundum animi ſententiam, aliàs cùm iterum purgari volet, adibit alium pharmacopæum, & iridem petet diaphænicum pro tribus aſſibus, hic iſto pro pretio non dabit pluſquam ſemunciam, cum qua vix quidquam efficiet, & ſic ſua fruſtrabitur intentione. Alius pro eodem pretio majorem dabit doſim, & ſic continget ſuperpurgatio.

Aſt in medicamentis vehementioribus, in longè maius incidunt diſcrimen, parvus enim in iis error ſæpè ægrum conjicit in ſepulchrum. E. g. ſi ruſtico pulverem antimonii vitreati pro aſſe exigenti, detur præcisè ſecundùm pretium, ſextuplo plus recipiet quàm ipſi competit ad purgandum: & ſic ſi totum una vice ſumat; quod petiit, indubiè lætho occumbet: ipſe etenim doſim unam intendit poſtulare. Credo equidem pharmacopæum ruſtici mentem capere, ipſique doſim daturum; ſed non eſt pharmacopæi purgantium doſes deſignare, cùm expertiſſimi medici uniuſcujuſque complexioni id accommodare vix aſſequuntur. Quid ancillæ & adminiſtri ruſtico præbebunt, ſi exercitatus poſſit errare pharmacopæus?

PARA-

PARAGRAPHVS TERTIVS.

In quo alii Pharmacopæorum errores deteguntur.

RElata nuper supradicta Senatui fuêre, & à medicis requisitum, quatenus Respublica à periculis recensitis vindicaretur, expedire, ut pharmacopæi in posterum nulla purgantia exhiberent absque notorum medicorum schedulis manu propria, & nomine signatis. Citati ea de causa pharmacopæi in medicorum absentia, responsum dederunt, medicos lucro inhiantes hoc medium adinvenisse, ut omnes ad eos recurrere cogantur in rebus etiam minimis; quasi verò pro tantillo rhabarbari, pro tantillo foliorum sennæ, pro duabus, aut tribus, (ut aiunt) pululis familiaribus, oporteret semper schedulas medicorum expostulare, quod grave onus populorum scapulis esset imponere. Hæc responsa medicis minimè communicata fuêre, & sic infectum stetit negotium.

Ad hæc dicimus: Tantillum rhabarbari (ad quod matres inconsultis medicis recurrere solent, simul atque morbus tenellos eorum

eorum infantes invasit) continuò febrem augere, quotidie inde epileptias procreari, aliasque humorum translationes excitari. Folia verò sennnæ ut fortia magis conturbant, & in morborum principiis funestiores etiam in viris producunt eventus. Non semel insuper contigit videre duas trésve pilulas de aloë lota in morbi initio sumptas, tantùm excitasse incendium, ut nullis remediis extingui potuerit.

Et utinam in medicamentis benignioribus exhibendis se continerent pharmacopæi; sed sæpenumero fortia quæque etiam ita liberè promunt, ac si lusus foret infantium. Quiritet apud dominum Pharmacopæum muliercula de mariti intolerabili capitis dolore; is absque mora, sine ulteriori perquisitione, morbúsne sit, an symptoma, id est, an febris, aliúsve morbus hunc procrearit dolorem, an æger sit in apyrexia, an vetustus sit morbus, an recenter occeperit (in cujusvis etenim morbi principiis ob materiæ cruditatem, rarò prosunt purgantia,præsertim fortiora,etiamsi febre vacent, malum autem augent frequentissimè) sed illico pilulas (ut aiunt) capitales imperabit scammonio colocinthideque refertas, vel species diacartami gutta gamboia, gialappave acuatas, ita ut

Apostoli

Apoſtoli ſequi velle conſilium videantur: *Nihil inquirentes propter conſcientiam*, & ſic cæpta ſanguinis concalefactio, & aliquando interna inflammatio, magis deſævit, medicamentique calore, & vehementia inchoatum adaugetur incendium; adeòque omnia in pejus ruunt. Verum quidem eſt, quòd fiat morbus brevior, ſed per interitum.

Nónne præſtaret tantillum pro medici conſultatione impendere, quàm marito, vel parenti exitium accelerare? Fortè dietâ, vel quiete potuiſſet mitigari morbus abſque medicamenti exhibitione, & ſic eis non tantùm conſtitiſſet.

Pauperibus verò medicinalia conſilia gratis conceduntur. Itaque non lucri cauſa, ſed Reipublicæ vel populorum incolumitati advigilantes, pericula averruncare conamur. Sed quid remedii, ſi hi, quorum intereſt dicta pericula avertendi, defectu medicæ ſcientiæ, illa non capiant, aut parvi faciant? cavendum ſanè eſt, ne & ipſi in foveam, quam aliis præcludere negligunt, cadant: monendique interim ceteri, ne vitam ſuam, omnibus fortunæ bonis præferendam, medicinæ principia ignorantibus tam facilè credant.

PARA-

PARAGRAPHVS QVARTVS.

In quo tractatur de tempore & modo exhibendi catharctici.

OBjiciet aliquis, ad quid tam multis purgantia rejicere in febrium initiis, cùm non pauci medicinæ periti id faciant? Reſpondeo medicos occaſionem aliquando opportunam arripere, cùm febris continua in principio non ita urget, poſt primam venæ ſectionem, minorativuum porrigunt, vel quando febris dat inducias, ut frequenter viſum eſt annis 1667. & 1668. quæ iſtius moris erat, ut quarto, quinto, vel ſexto die levi cum ſudore remitteretur; ſed defectu ſufficientis evacuationis, poſt quartum, aut ſextum remiſſionis diem, revertebatur: quod antea ſatis infrequens erat. Quibus ſpontè alvus fluebat, ut plurimùm evadebant, alii verò periclitabantur. Aſt pharmacum purgans ore ſumptum vigente febre methaſtaſim identidem excitabat.

Inſuper purgatur aliquando in initio cum meteria turget, ut dicit Hippocrates *lib.* 1. *aphor.* 22 *concocta maturáque purgare ac movere oportet, non cruda: nec per initia, niſi*

nisi materia turgeat Sed addit: *rarò autem turget.* Atque aphorismum hunc Galenus 4. *de sanitate tuenda*, *cap.* 5. *oraculum appellat.* Cùm autem ad purgantia in initio devenitur, tam benigna, tamque levia seliguntur, ut lubricantia sint potiùs, quàm verè purgantia: ut sunt, diaprunum simplex, syrupus violaceus, syrupus rosarum solutivarum, levis rhabarbari infusio, pulpæ tamarindorum cum cassia, &c. Sed ista sæpissimè intentionem deludunt medicorum, vel enim parùm, vel nihil purgant, & sic tempus teritur absque fructu, & quamvis nihil ejecerint, incoctam tamen materiam perturbarunt. Ista prætereà à plerisque damnantur; dulcia etenim omnia in stomacho alterantur, & in bilem convertuntur.

Mallem ego causam antecedentem decoctis & julapiis refrigerantibus, & leviter detergentibus detergere, blandisque enematibus per inferiora allicere; sic namque causæ immediatæ pepasmus non perturbabitur. Porrò si minorativa, ut aliquid faciant febris in vigore, paulò fortiora præbeantur, causam conjunctam adhuc incoctam commovebunt, & in cassum irritabunt. Nam ut habet doctissimus Duretus: *Quidquid citat & citatum non excluait*,

majorem oppressionem facit.

Quapropter sunt plurimi, qui tam sanctè, tam accuratè concoctionem expectant, ut non solùm in febribus continuis, & acutis, verùm etiam in diuturnis, & intermittentibus, immò omnibus ferè morbis non nisi coctione præcedente, ullam purgationem putent instituendam. Adeò ut Alex. Massarias *lib. 5. pract. cap.* 22. eos reprehendat, qui in quartana ad coctionem humorum, utuntur syrupis compositis de fumaria, de pomis & epithymo, de polypodio, ideò quòd cassiam, sennam, epithymum, polypodium, & alia ejusmodi medicamenta recipiant; quæ concoctionem non solùm non juvent, sed etiam illam maximè turbent & impediant.

Incommoda intempestivæ purgationis, eorumque causas, si quis magis perspectas habere satagit, legat Danielem Senertum *lib. 2. de febr. cap. 6.*

PARA-

PARAGRAPHUS QUINTUS.

De epicratica purgatione.

At dicet aliquis: Non est proficuum ita semper perfectam expectare concoctionem ad catharcticum exhibendum; immò vituperandi videntur medici qui diutius protrahunt morbum, concoctionem ulteriorem expectando, quæ fortè futura non est. Quin potiùs imitanda est natura, quæ apostema aperit, ut partem puris concoctam extrudat; & interim vacat reliquiarum concoctioni. Et hæc plurimorum est sententia; præsertimque Fernelii, qui sic habet: *Non semper expectanda totalis concoctio pro blandi medicamenti exhibitione.*

Respondemus, nos idem asserere: non enim semper totalem; sed saltem aliqualem expostulamus: verbi gratia in acutis sub finem status, cùm febris incipit mitescere, si aliquid urget, leve catharcticum potest præscribi: & quò magis perfecta est concoctio, eò fortius propinari potest & debet: attamen purgantia epicratica in febribus seu cronicis, seu acutis, quotidie exhibenda nullatenus censemus; etiamsi aliqualis

appareat concoctio : istâ quippe quotidianâ agitatione impeditur & turbatur pepasmus; immò crudior redditur materia morbifica, impingiturque in viscera profundiùs; unde magis rebelles redduntur obstructiones, morbus prolongatur, deteriorque, ut plurimùm, evadit. Verum quidem est quod multoties vidimus quotidianâ per epicrasim ad dies aliquot purgatione, post diuturniorem humorum & corporis præparationem, contumaces morbos radicitus extirpatos, ubi nulla comitatur febris; utpote obtento præparationibus istis perfecto humorum pepasmo. Ast quamdiu febris perseverat, signum est humorum cruditatem nondum evictam, tenacioremque esse, quàm ut levi medicamento (ut sunt epicratica) possit exturbari. Certè si humorum concoctio esset ferè in facto esse, præstaret paulò fortius propinare catharcticum : nam si primâ epicratici exhibitione causa morbi non evellatur, profectò nec secundâ, nec tertiâ exturbabitur; quia quidquid citat & citatum non excludit, majorem facit oppressionem, quòd centies magno ægrorum damno observavimus.

Non tamen intendimus epicraticam purgationem in febribus omninò rejicere, sed tantùm quotidianam : immò asserimus in

cronicis

cronicis & maximè in triumgenis, ut hemitriteo & similibus, non modò proficuam; verùm & necessariam, dummodò singulis triduis, aut quatriduis tantùm exhibeatur, ut in intervallis tempus habeat natura vacandi concoctioni. In quartanis verò, longiores multò debent servari intercapedines, propter ejus causæ tenaciorem viscidita- tem, quæ tam brevi spatio vix à nativo calore posset immutari, vel alterari.

In acutis autem morbis quando post reïteratas sufficienter per venæ sectionem evacuationes, non est spes metastaseos impediendæ, phrenitisque vel alius similis morbus est in fieri, & nondum in facto esse, vel quando materia venenosa est; consentaneum esse censeo ad vinum recurrere emeticum: illo enim medicamento satis feliciter serum acre, & fervidum sanguini permixtum (quod suâ acrimoniâ venas vellicando, & stimulando metastases inducit) etiam ex venis unà cum bile & aliis corruptis humoribus è corpore infra, supraque exturbatur. Sed dosis (si vires ferant) validior sit oportet, ne quod motum est, non educatur. Hanc praxim plerique Parisiis amplectuntur, mirisque extollunt laudibus, ex quo Rex Christianissimus propè Dunkercam tali remedio à mortis limine


 revocatus

revocatus est. Sed jam dudum in Italia, & aliis in locis practicabatur: ut videre est apud Hier. Capivaccium *in apendice de tempore exhibendi solutivi*, & apud Pium Æneam Caprilium *de febre putrida in genere lib.* 1. & apud Eustac. Rudium *lib.* 3. *pract. cap.* 22. & plures alios.



CAPVT OCTAVVM.

An mittendus sanguis menstruis fluentibus



Ecundus casus, qui medentium mentem in dubium trahere solet, est: quando febris continua puellam, vel mulierem unà cum menstruo fluore adoritur, an sanguis mittendus est? Febris suadet, sed fluor contra indicat; venæ sectione etenim, quamvis ex talo fiat, menstrua fluentia sæpè cohibentur. Ea de causa, quasi oraculum à plerisque hoc habetur: *Domina operatur Natura, sinito*. Sed distinctione opus est: si febris mitis est, nec multùm cruciat, fluxus autem utcumque procedat, sinito. At interim julapiis, decoctis, clysteribus blandis refrigerantibus, similique dieta sanguinis fervor

fervor mitigabitur. Si autem febris sæviat, summa cum inquietudine, & vigiliis, calorque sit intensus, sanguis illicò mittendus ex saphena, sed per epicrasim, lato tamen foramine, ad sex nempe septémve uncias bis in die: largior enim venæ sectio fluxum sistit, parcior verò eum allicit.

Si finis autem istius fluoris foret expectandus, (qui sæpè ad sex, octóve dies protrahitur) sanguis per nimiam effervescentiam, aut malignitatem concipiet, aut inflammationem alicubi procreabit. Magnum enim incendium stillicidio nullatenus extinguitur: nec umquam animadversum est fluxu menstruorum ordinario febrem notabiliter factam mitiorem.





CAPVT NONVM.

Inflammatione alicujus partis superioris invadente, si simul fluxus enormis ex utero contingat, quid faciendum?



Ertius casus praxim habens ancipitem; est, quando alicujus è superioribus partibus inflammatio simul cum enormi fluxu uterino incipit. Affectus uterque sanguinis missionem ex cubito videtur expostulare: verùm enim verò si diu antea menses substiterant, & dolor, vel oppressio partis phlegmone affectæ, ut pleuritidis, anginæ, phrenetidísve urgeat, satiùs est in talo revulsionis gratiâ venam aperire, & duodecim vel circiter uncias sanguinis lato foramine extrahere, ut simul à parte inflammata revellatur, & fluxus divertatur. Nam (ut dictum est superiùs) parca ex pede venæ sectio menses movet, & allicit: sed larga eos sæpè cohibet.

Si autem ex brachio phlebotomia exerceretur, enormis iste fluor citiùs quidem compesceretur; sed totus ille sanguis, quem natura

natura uterum versus amandaverat, ad superiora dubio procul absque mora traheretur, partemque inflammatione cruciatam magis oppsimeret. Ea de causa, tametsi patiens singulis ritè mensibus sit menstruata; si tamen plethorica appareat, etiam ex pede præstaret, saltem semel, sanguinem mittere: ast in aliis casibus, si post unam, aut alteram ex pede venæ sectionem adhuc affectus dolorosè lancinet, anhelitumque comprimat, citò citiùs ad basilicæ apertionem deveniendum.

Et quamquam Massarias in istis casibus venas in poplite, vel talo perpetuò aperiendas esse variis contendat rationibus; mallem tamen cum Daniele Senerto post duas aut tres ex talo phlebotomias, si dolor pleuriticus aut similis inflammatorius persistat, ad basilicam recurrere, ut diximus: nam cùm ita pertinax est dolor, signum est materiam ita jam parti affectæ adhærere, ut uterum versus ampliùs revelli non queat.

CAPUT



CAPVT DECIMVM.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

An in febre pestilentiali sanguis sit mittendus, & quando.



Mbigitur præterea an in febre pestilentiali consentaneum sit devenire ad phlebotomiam? Auctorum & practicantium major pars negativam tuetur: sed Dodonæus, & non pauci alii suadent in plethoricis phlebotomiam exercere. Hanc ego doctrinam secutus optatum sæpissimè observari eventum; dummodò sequentia observentur dogmata.

Primò, ne administretur quando natura aliquid foras protrudit: bubone tamen apparente, si magna sit plethora, potest extrahi sanguis ex vena parti dolenti viciniore. E. g. si bubo sit in inguine, tundatur saphena ejusdem lateris, si sub axillis, basilica: sed immediatè post, præbeatur alexiterium.

Secundò; ut ea fiat in morbi die primo, id est, ante quàm horæ quatuordecim à primo

primo morbi exordio præterierint.

Tertio, ut ea nequaquam præscribatur præterquam in ætate vegeta, id est ad quadragesimnm usque annum, qui ultimus Iuventæ terminus nuncupatur. Post illam etenim ætatem quamvis plethora venæ sectionem indicet, humidum tamen radicale citiùs à necrosi pestis evincitur qualitate.

Quartò ut immediatè post venæ sectionem, antidotum in bona dosi propinetur: ut hoc, aut simile.

R. theriaces veteris dragmas tres, syrupi de succo citri unciam unam & semis, aquæ cardui benedicti uncias tres, Misce, fiat potio.

In potionibus, & conservis præservativis addi possunt lapides bezoardici, salia cardui benedicti, absinthii, cornu cerui philosophicè præparati, confect. de hiacint. & similia. Sed pro curatione, quia periculum est in mora, istis omnibus fidere minimè vellem, immò nec diascordio, quod præservativum magis est, quàm curativum: præterquam in pueris, & debilibus, & aliis alvi fluore laborantibus: quia ista omnia sunt levis armaturæ auxilia. Sed theriaca Andromachi benè & accuratissimè dispensata, & ex selectissimis consignata simplicibus, super

omnia

omnia elexipharmaca principatum obtinet, & ejus succedaneum Mitridatium. Ast theriaces dragma una, ut à pluribus medicis præscribi solet, nimis imbecillis est dosis, ut tam sævum hostem aggrediamur. Ego autem cum Dodonæo robustis sæpiùs ad semiunciam optimo cum successu præscripsi.

Si æger medicamentum (ut monet Senertus) vomitu rejiciat, mox illud repetendum: immò etsi illud retineat, semel exhibere alexipharmacum non sufficit, sed intra octo horarum spatium repetendum; immò ter intra viginti quatuor horarum spatium reïterari debet, quin etiam dosis augeri, vel aliud fortius eligi. Neque quis sibi persuadeat, si semel vel bis sudaverit, & meliùs non nihil habeat, se jam extra omne periculum esse constitutum. Si enim minimæ veneni reliquiæ in corpore hæreant, dispersas resumet vires, novumque naturæ bellum inferet.

Itaque quinquies vel sexies intra biduum talia sudorifica repetere est necessarium. Quod cùm sæpè negligatur, sic plurimi, qui servari possent, intereunt, & optima etiam remedia infamantur. Nec pertimescenda theriaces caliditas: quamvis enim febris pestilentialis ardentissima deprehendatur, accidentalis

cidentalis tantùm eſt, & ſympthomatica, & cùm à peſte pendeat, ſi peſtilentialis malignitas alexiterio domari poſſit, febris illicò mitigabitur. nam (ut aiunt philoſophi) ablatâ causâ, tollitur effectus. Et id confirmat etiam Daniel Senertus *lib. 4. cap. 6. de curatione peſtilentiæ*, his verbis: *Cauſa nulla eſt cur theriaca rejicienda ſit, cùm plus commodi venenum expellendo, quàm damni calorem excitando afferat; ut ſæpiſſimè in praxi obſervari licuit.*

Reïteratis præfato modo ſudorificis poſt elicitos optimè ſudores, ſi quarto morbi die nihil natura foris patefecerit, febre non mitigatâ, conſtantibus etiam viribus, confidenter ad mediocrem venæ ſectionem deveniendum: devicto enim alexiteriis veneno, evaporataque auræ peſtilentis malignitate, ſanguinis effervеſcentia proficuè phlebotomiâ attemperatur, Immò & reïterari poteſt, ſi febris deſævire non deſinat.

PARA-

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In quo argumenta eorum, qui venæ sectionem rejiciunt exprimuntur, & solvuntur.

ARgumenta, quibus muniuntur, qui in peste rejiciunt phlebotomiam, hæc sunt.

Dicunt primò: quia in peste qualitas venenosa cor præsertim oppugnat, ideò quidquid peste affectis adhibetur, debet eò tendere, ut omnia à centro ad circumferentiam depellant: sed venæ sectio contrarium facit; ergo.

Major ab omnibus non admittitur, quia multi, stybii ritè præparati infusione sanitati restituuntur: stybium autem, ut & omnia purgantia, à circumferentia ad centrum trahit. Insuper saphenæ sectio à corde revellit. Quamvis autem venæ sectio ad centrum moveat, iste motus facilè impediri potest alexiterii exhibitione immediatè post venæ sectionem; ut dictum est superiùs.

Dicunt secundò: pestifera malignitas quamprimùm in corpus se insinuavit, cor petit illicò, ejusque vitales facultates debilitat, spiritusque vivificos opprimit. Quapropter quidquid vires dejicit, in peste minimè

minimè debet administrari: sed venæ sectio vires dejicit: ergò minimè debet administrari.

Respondeo concedendo majorem. sed minor debet distingui: in debilibus venæ sectio vires dejicit, ergo in peste minimè debet administrari: concedo. In plethoricis autem in ipso morbi principio: negatur. Eorum enim vires oppressæ venæ sectione allevantur, recreantur, & quasi ab inutili & ponderosa sarcina deposita sublevantur. Quemadmodum enim tantillùm spiritus ardentis absinthii in poculum vini immissum totum illicò vinum inficit amaritudine: sic aura pestilens in corpus receptum, totum quàm celerrimè depravat sanguinem, eum acrem admodum, præfervidumque reddens: undè quasi ebulliens & furiosus venis vix contineri potis est; præsertim cùm plethora adest, tantam parit lassitudinem inquietudinemque, ut mirum in modum cruciet, nisi venæ sectione mitigetur. Si tanto incendio theriaces caliditas addatur cum sudoris labore & conatu, timendum certè est, ne vasa disrumpantur, vel febris notabile sumat incrementum. Non enim sine notabili periculo, sudorificis vel catharcticis defatigantur plethorici, aut validius subeunt exercitium.

Ludovicus Septalius *in animadvers. medic. lib.* 5. *n.* 36. scribit, in peste illa insigni, quæ Mediolani anno 1575. & 1576. grassata est, se cum aliis medicis primò quidem venæ sectionem aversatum fuisse: verùm cùm ex sententia curationes non succederent, mutatâ sententiâ aliorum exemplis, & felicioribus successibus excitatum, venæ sectionem postea feliciter adhibuisse.

Itaque sic operandum censeo; si omninò in morbi invasione vocetur medicus, præbere posset utiliter antidotum sudorificum mitius, ut quod in ambitu & habitu corporis receptum est venenum, citò citiùs discutiatur, ne per venæ sectionem intro alliciatur. Sed immediatè post venæ sectionem validius incorporetur alexipharmacum. Somnus tamen non admittatur antequam æger bis ad minimùm sudaverit, ne vis veneni per somnum ad interiora serpat.

Si secundò autem die tantùm vocetur medicus, spretâ phlebotomiâ, ad validiora citò recurrat antidota. Cùm enim pestiferum virus per moram nimiam totum inquinavit sanguinem, & præcordia usque penetravit, ex quo vitæ fons debilitatus, magis adhuc phlebotomiâ debilitaretur. Immò & primo die nocivam judico venæ sectionem si pestis ab universali aëris corruptione

corruptione generetur; quod detegitur, si simul plures passim variis in locis extra infectorum viciniam aut communicationem peste corripiantur, præsertim aliqua animi vel corporis commotione, ut casu, percussione, defatigatione, crapula, incusso ex improviso timore, jurgiis, iræ excandescentia, immò & levissima febrili dispositione, &c. tunc ad antidota & alexipharmaca dumtaxat confugiendum, cordialibus & confortantibus adjunctis. Sed si contagione communicata fuerit, salubri alioquin cœlo & anni constitutione, rerumque omnium quæ ad victum faciunt, maximâ abundantiâ, & ubi corpora succi plena deprehenduntur, venæ sectio tunc primo die plurimùm adferet juvamentum, quod plus quàm centies aliis pestilentiis expertus sum: illo enim curandi modo præfatis dogmatibus observatis, identidem ante diem secundum pestis abigitur profligaturque.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Quòd peſte graſſante non ſit ſemper rejicienda venæ ſectio.

NOn pauci, peſte ſæviente, in plebeis deteguntur errores; quibus cùm obnoxii non ſint Medici, jure merito ſilere poſſem, niſi juſta civium commiſeratione motus, illorum anxietati occurrendum putarem; duas, eaſque frivolas plebeculæ opiniones refutando.

Prima eſt, venæ ſectionem peſtilentia graſſante nullo modo admittendam: credunt enim peſtem venæ ſectione induci, idque eorum mentibus ita infixum eſt, ut ægrè medico aliis in morbis phlebotomiam imperanti obtemperare audeant; quod omninò falſum eſt, & ab omni ratione alienum. Niſi enim peſtiferum virus antea receptum ſit, & alicubi in corporis habitu latitet, nullatenus phlebotomia attrahetur. Verùm ad purgantia intrepidè in peſtis, & morborum aliorum initiis confugiunt plebei, quæ tunc nociva (ut plurimùm) ſunt: crudos enim exagitant humores, à circumferentia ad centrum trahunt, ſanguinem calefaciunt,

calefaciunt, ſpiritus accendunt, febremque adaugent mirabiliter, & ſi ea ſit peſtilens, fatum accelerant: aſt his periculis caret phlebotomia. Immò aſſerimus nullum peſte ſæviente maius præſervationis remedium eſſe, quàm phlebotomiâ ſanguinis demere plenitudinem: plethoricos etenim faciliùs, & frequentiùs peſtis adoritur, eoſque qui acriorem fervidioremque ſanguinis maſſam continent, quæ peſti ſuſcipiendæ aptiſſima materia eſt: unde nullum eis remedium citiùs opitulatur, quàm frequens venæ ſectio. Itaque in apyrexia & morbi idea probè percognita ſecuriſſimè venæ ſectio admittenda eſt, ſi plethora adſit, aut morbus id indicet.

Altera, eaque futilis opinio familiis, in quibus ægrotare quis incipit, majorem parit anxietatem; hæc autem eſt: peſtem omnibus aliis morbis intervenire, aut ſuccedere debere, quod eos tanta afficit inquietudine, ut toto longiſſimi morbi decurſu malè ſibi ſemper metuant, & conſanguinei invicem ſe inviſere non audeant, etiam in tutiſſima tertiana: cui tamen timori & ſedula obſervatio & quotidiana experientia contradicunt; cùm idea morbi non facilè mutetur, taliſque permaneat, qualis incepit, præſertim quantum ad ſupremam maligni-

 tatem.

tatem. Ea de causa, quando erumpentes variolas, morbillos, rubiolas, erysipelas, &c. immò & pethechias purpureas detegimus, jam à pestilenti febre sumus securi: vel ubi typum intermittentis alicujus observavimus nullus ampliùs de peste timor ingruit. Mutatur quidem non raró tertiana in duplicem, hemitriteum, continuam, immò & in quartaram, sicut Pleuritis in Peripneumoniam, nec non Epileptia in Apoplexiam, &c. hi enim affines sunt morbi, & causa unius non ita differt ab alterius; ast putredo tertianam aliamve intermittentem producens, ita differt à causa pestis, ac si antipathia quædam adesset: rarissimè enim contingit videre tertianarium peste affectum; pestilentialis quippe febris (ut superbus victor) ab alio morbo attritum despicit, & in optimè valentes, & plethoricos præsertim desævire consuevit, rariùs in debiles, & imbecilla utentes valetudine: hi tamen in domo peste inquinata degentes ex continuo auræ pestilentis per respirationem attractu, citiùs peste enecantur; nec quartana aut tertiana laborantes, neque leprosi, aut scabiosi immunes erunt à peste, si in domo pestifera inclusi sint, vel in aëre inquinato validius subeant exercitium dictas ob rationes. Itaque hoc firmissimè tenendum,

nendum, peſtem nullis ægritudinibus ſuccedere aut intervenire ſolere, præterquam ephemeræ febri, maximè ſi à cauſa procedat evidenti, & hoc non identidem. Illa ſiquidem ſubitò validæ tempeſtatis more, ut plurimùm invadere ſolet, nulla alia præcedente infirmitate.

At dices: vulgò probabiliter tenetur, ſaltem febri continuæ peſtem intervenire aut ſuccedere, & quorumdam medicorum mens eſt: quando peſtis ab univerſali aëris corruptione generatur, omnes continuas in peſtem mutari.

Reſpondeo: id ita intelligi non debere, quaſi febris quæ Cauſus, vel Synochus in initio eſt, temporis progreſſu malignior effecta, peſtilentialis evadat: id etenim necdum demonſtravit experientia. Immò in ardentis febris recidiva (peſte ſæviente) prima morbi Idea conſervatur. Aſt inſinuare volunt: in peſte ab univerſali aëris corruptione fomentata vix inveniri febrem continuam, quæ peſtilentialis non ſit; (ut in initio autumni hujus anni 1668. deprehendimus) ſed à prima morbi invaſione talis eſt; ſæpè autem in initio dolosè latitans Synochum mentitur. Ideóque non facilè ad phlebotomiam deveniendum, niſi percognitâ probè morbi Ideâ.

Sed inquies iterum : malefida securitas est, quæ ex pethechiis erumpentibus emergit, cùm in peste similes etiam appareant.

Respondeo eas ab illis omninò esse dissimiles, nam in peste omnes sunt rotundæ, majores, rubeæ, flavæ, nigræ, vel ceruleæ: in Causo autem omnes sunt purpureæ vel subrufæ, & figurâ diversæ.





CAPVT VNDECIMVM.

Quòd non sit inchoanda febris continuæ curatio sudorificis, præsertim calidis



Vam in præcedentibus paragraphis de damnis & periculis, quæ subeunt plethorici per validum exercitium, mentionem fecimus, mihi in memoriam revocavit quorumdam praxim medicorum, qui in febrium continuarum curatione se nodum reperisse existimantes, nullâ venæ sectione præmissâ, calida in principio sudorifica præscribunt. Quamquam enim diaphoretica in febris pestilentialis initio, maximo cum fructu præscribantur, præcipuè si in plethoricis præcesserit phlebotomia. Attamen idem experiri velle in continuarum febrium curatione, (ubi de pestilentia suspicio nulla est) absurdum est, & ab omni ratione, & experientia alienum. Par enim nullo modo est ratio: pestilentialis enim, cùm à peste excitetur, & ideò accidentalis nuncupetur, quæ cùm à venenoso halitu per corporis ambitum recepto procreetur,

 consonum

consonum rationi est, ut per sudorifica in initio debellari tentetur. Continua verò febris, quæ per cacochimiam in venis majoribus essentialis facta est, nullatenus per sudorifica in initio curatur. Nam impuritas sanguini permixta per pepasmum tantùm è corpore potest exturbari. Passim enim ex Hippocrate, & Galeno dilucidè patet, quòd per sudorifica non nisi cocta materia cum ægri commodo sensibilis fieri possit evacuatio: cùm ejus minera non in ambitu, sed in centro & visceribus restagnet.

Pluribus de causis diaphoretica in febris continuæ principio, variisque rationibus rejiciunt omnes Auctores medici. Primò: quia facultas concoquens læditur novi caloris accessione. Secundò: quia calorem nativum, & spiritus hujusmodi medicamenta dissipant. Tertiò: quia tempus secundùm naturæ cursum sudoribus movendis non est idoneum; cùm sudores, qui sine coctione accidunt, infidi sint. Quartò: quia ab omnibus calida damnantur, cùm longè maius ex eorum caliditate damnum, quàm commodum ex sudoris provocatione consequatur.

Quapropter carpenda, vituperanda, explodendaque est istorum praxis præpostera, qui nulla præmissâ phlebotomiâ, calidissimis

diſſimis aſtringentibuſque ſudorificis febris continuæ inchoant curationem, cùm nullum ſignum, nullaque peſtis apparet ſuſpicio. Quid, quæſo, intendunt iſtis ſudorificis expellere? cauſam conjunctam quæ eſt in venis? aut antecedentem, quæ in prima hæret regione? Neutram profectò. Quid ergo, niſi in deteriùs rem conſtituere? Ablatis ſiquidem in morbi initio ſeroſitatibus, alij humores redduntur tenaciores: ſerum enim eſt ſanguinis vehiculum, aliorumque humorum: & ſic multò prolongatur morbus. Si febris, certè, ſit calor in corde accenſus, (ut ejus manifeſtat definitio) per diaſcordii, theriaces, & mitridatii exhibitionem, febris continuæ in principio, maius indubiè ſumet incrementum.

Attamen ſi per contagium febris fuerit communicata, poſt demptam phlebotomià plenitudinem, ſudor poterit temperatis diaphoreticis excitari, ut ſale cardui benedicti, prunellæ, & ſimilibus. Sed acetum vini acerrimum magis mihi arridet: vidi quippe magni nominis medicos id feliciter propinaſſe, & ego centies ad libram ſemis immediatè poſt venæ ſectionem haurire juſſi optimo cum ſucceſſu. Id enim minimè calefacit, ſed ventriculi cruditates incidendo abſtergit, & aliquando feliciter

citer cacochimiam ventriculi blandè vomitu exturbat. Sed id omninò in initio peragi desiderat; nam post tertium aut quartum diem, cùm pepsim aggredi natura inchoavit, vix bonum producunt successum diaphoretica, quia concoctionem perturbant, febremque adaugent, ut plurimùm. Immò diebus criseos quando sudorem incipit natura extrudere, si sudorificum exhibeatur, statim illa ab incœpto desistit opere, sudor sistitur, febrisque non raro exacerbatur. Quare præstat incœptum negotium naturæ committere, frigus arceri debet, ast æger non nimio obruatur tegumento. Non hîc quadrare videtur illud Hippocratis: *quò natura vergit, eò ducere oportet.* Sed hoc potiùs sequendum: *Domina operatur natura: sinito.* Verùm enim verò cùm ad circumferentiam pethechias, morbillos, variolas, exanthemata, rubores, &c. in febribus acutis, sive in augmento, sive in statu vitalis facultas expellere conatur, levia sudorifica in parva quantitate per epicrasim utiliter exhibentur, ut lapis bezoardicus cum cardiaco in nectare admixtus, vel sal cardui benedicti ad grana 7. vel 8. cum ptisana vel alio liquore singulis quatuor horis, &c. quæ suaviter humores ad circumferentiam alliciunt, motumque

tumque adjuvant naturalem. Madores etiam & imperfecti sudores meliùs isto modo promoventur, quàm validiori diaphoretico.



EPILOGVS.


Vamvis mero genuinæ veritatis studio, quædam practicantium errata notaverim, manifestaverimque: valdè tamen metuo, ne horum nonnulli, inveteratâ hæresi contumaces errori insistant; ne non ante sapuisse videantur. Malunt namque multi, ut occæcati equi molæ rotam vertentes, eosdem passus semper calcare: noluntque à semel recepta medendi consuetudine ne ad latum unguem recedere. Sed ipsi viderint. Cùm enim rationes non paucæ, plurimorum veterum, & recentiorum auctoritates, nec non veneranda experientia nobis faveant; quidni ita ageremus? Quidni saphenam in viris pro febrium curatione aperiremus? cùm res ita postulat, cùm morbi minera infra jecur restagnat, cùm plethora premit non solum ad vasa; sed etiam ad vires, ne pars materiæ morbificæ, & cruditates,

quæ

quæ ſub jecore deliteſcunt, verſus cor & cetera nobiliora viſcera per baſilicæ apertionem rapiantur. Cùm igitur quotidiana patefaciat experientia, immanes pleuritides, ſævas anginas, intolerabileſque capitis dolores, unicâ ſaphenæ ſectione citò tolli in mulieribus; quidni idem accidere poſſet viris, ac juvenibus, ubi minera morbi infra jecur reſtagnat? Et ſi ſaphenæ inciſio conferre poſſit in iis, quæ ſupra jecur ſunt phlegmonibus, multò magis cùm materia vaga eſt in venis, nec alicubi ſedem fixit per inflammationem.

Sed muſſitantes audire videor, virum me ſanguinum nuncupantes, eo quòd in toto hoc opuſculo ubique occurrant reïteratæ venæ ſectiones, cùm vitæ theſaurus in ſanguine conſiſtat, viribuſque per nimias phlebotomias ablatis, natura ſuccumbens vim morbi ſuſtinere, ſuccorumque peccantium concoctionem aggredi minimè potens ſit.

Reſpondeo theſaurum eſſe inutilem, ſi non nocivum; quem avarus contingere non audet, ne minuatur. Sed Domini prudentia in bona theſauri diſpenſatione manifeſtatur, quem nec prodigum, nec parcum nimis eſſe decet. Veriſſimum autem ex attenta obſervatione deprehendi, multò plures fato occumbere ex tardiore, & parciore phlebo-

phlebotomia, quàm ex liberaliore. Totum verò in eo consistit negotium, ut sufficientes satis tempestivè venæ sectiones celebrentur; confectâ etenim inflammatione, ita ut sit abscessus initium (quod sæpè quarto, quinto, aut sexto die accidit) supervacanea est venæ sectio. Id autem non à primo morbi die, sed à phlogosis inchoatione est supputandum.

Quamquam autem veritatis amore, quidquid in hoc opusculo est, scripserim: attamen id ipsum mihi vendico, quod Carolus quintus Imperator Francisco primo Galliarum Regi aliquando fertur respondisse: *Homo sum, nihil humani à me alienum puto.* Ideòque non mirum si à veritatis scopo quandoque vel invitus aberraverim: sed absit à me, ut errores meos (si qui sint) mordicus tueri velim. Paratus enim sum, & illos, si rationibus & experientiâ convincantur, retractare; & sapientiorum judiciis quidquid conscripsi (uti facio) submittere.

FINIS.

APPRO-



APPROBATIO.

IN hac statera sanguinis nihil deprehendi erroris contra fidem aut bonos mores. Datum Tornaci die 29. Iulii an. 1668.

E. PLESSEREA
Can. Torn. & lib. Censor.

ERRATA.

PAg. 16. linea 10. judicant, lege indicant. pag. 36. linea 6. verba 6. desiderantur. Sic vero legendum: cum enim humor peccans in venis superioribus continetur, vel cùm pars è superioribus aliqua, phlegmone afficitur.





COROLLARIVM

DE PESTIS MODERNÆ REMEDIO.



ATEOR, benigne Lector, opuſculo hoc intendiſſe me quorumdam præſertim Medicorum errata, ut corrigerentur indicare: obiter verò, & ſummatim peſtis remedia tradidiſſe. Vnde in paragrapho 5 c. 7. dixi: *Quando materia venenoſa eſt, conſentaneum eſſe cenſeo ad vinum recurrere emeticum.* Item paragrapho 2. cap. 10. *Multi ſtibii ritè præparati infuſione ſanitati reſtituuntur.* Et alibi alia curſim tetigi; nullibi autem, prout rei dignitas merebatur, materiam digeſſi; utpote qui alium mihi ſcopum præfixeram.

Attamen quia peſte ſæviente hic libellus in lucem prodiit, multorum amicorum, qui contra hoſtem ſæviſſimum expectabant auxilia, ſpem fruſtravi & vota: eò vel maximè; quò de peſte facta mentione, primùm à venæ ſectione inchoandum conſuluerim; poſtea ab ea omninò abſtinendum cenſuerim. Quid igi-

tur agendum, inquiunt? An ſolis alexiteriis inſiſtendum? At certè parùm hæc, aut nihil hucuſque profuiſſe manifeſtavit experientia: conſtat enim vix decem ex centeſimo numero, eo evaſiſſe remedio.

Quapropter ut illorum deſideriis faciam ſatis, ſciendum eſt vix unquam peſtem novam exoriri præcedenti ſimilem: ideòque unius remedium, vel curationem alteri ferè numquam quadraſſe deprehenſum eſt. Quare cùm peſtis aliqua debacchari incipit, difficillimum eſt ei certo & analogo occurrere remedio: ſed id ex multorum curatione & interitu à Medicis dignoſcendum. Indaganda itaque diligenti ac perſpicaci obſervatione veneni qualitas: & cui parti, cuive humori immiſceatur & adhæreat, ſagaciter explorandum.

Peſtis præcedens incepit anno 1646. & uſque ad 1652. aut circiter deſævire non deſtitit. Tunc verò maſſæ ſanguineæ omnium primò ſe inſinuabat peſtilentia, poſtea ad alios ſerpebat humores, perniciẽ ubique generans. Febris quippe, validæ more tempeſtatis, fortis ſtatim ab initio maximè fervebat, ſumma cum inquietudine & ſiti, ardentem per totum corpus diffundens calorem: ac propterea ſanguinis miſſio ab initio celebrata, quam excipiebat ſudorificum, eam (ut plurimùm) fugabat

fugabat ante diem ſecundum, ſatiſque feliciter ſanabantur ægroti, ut notavimus paragr. 1. cap. 10.

Verùm ex attenta peſtilentiæ præſentis obſervatione omniumque illius ſympthomatum enucleatione manifeſtiſſimè detegimus non parvam intereſſe differentiam. Hæc enim cum febre miti, magna ex parte in initio apparet, abſque ſiti, abſque acri calore: ſæva autem quæ contingunt ſympthomata, ſunt moleſtus ſtomachi, lumborumque cruciatus, ſubita ciborum inappetentia, nauſea, vomitus, ſummum dormiendi deſiderium, &c. quæ omnia perſpicuè demonſtrant auram peſtilentem ſtatim in principio primam aggredi regionem, & in cruditatum ac humorum corruptorum ſaburra intra ventriculum & circa inteſtina reſtagnante ſuum ſtabilire munimentum: unde cor & principes facultates ad deditionem compellit. Et hanc arbitror cauſam eſſe cur plures pueros ac puellas, quàm viros hæc peſtis abſtulerit, quia nempe puerorum ac puellarum ventriculus, magis abundat cruditatibus, virorum non ita, niſi aliunde, verbi gratia ex potitationibus, ingurgitationibus, ſimilibuſque vitiis illæ procreentur. Vnde ut plurimùm viri, qui peſte obierunt, dictis cruditatibus obnoxii fuerunt; aut ex communicatione peſtiferorũ virus contraxerunt.

 His

His ita attentè consideratis, quis medicorum ad venæ sectionem deveniet, quæ ex prima regione ad secundam, & inde versus cor venenum trahit? Scio equidem aliquos à præsenti pestilentia per venæ sectionem, & subsequens antidotum evasisse; at illi nulla molestabantur nausea vel vomitu, nec eorum ventriculus scatebat cacochimia, sed more præcedentis pestilentiæ, massa sanguinea. priùs fuerat inquinata per transpirationem. Nunc verò major pars afficitur per respirationem; ac propterea frequentiùs primam regionem virus invadit, ex qua quàm celerrimè vomitu exturbari debet, antequam serpat profundiùs: conatus enim naturæ hoc indicat. Est etiam Hippocratis doctrina, *Quò natura vergit, eò ducere oportet.*

Itaque nihil præstantius, nihil efficacius, nihil conducibilius ad hujus pestilentiæ curationem inveniri posse autumo, quàm egregium pestis in initio porrigere vomitorium, ut diligenti observatione compertum est: at sequentia observari debent dogmata.

Primò: ut detur primo die morbi, aut secundo, si nondum à natura quidquam foris patefiat, ut bubo in emunctoriis: quamquàm non paucis post vomitorium contigerit sanitas, quibus aliqui bubones eruperant, sed illi nec magni, nec valdè dolentes reperiebantur.

Faciliùs

Faciliùs autem servantur vomitorio, quibus soli eruperunt carbunculi.

Secundò: ut emeticum exhibeatur ante quodlibet sudorificum, præsertim alexiterium, hoc etenim ex ventriculo virus exturbat in secundam, aut in tertiam propellit regionem, at rarò ex toto corpore eliminat, immò nec totaliter ex ventriculo. Nam alexiteriis cruditates non evacuantur, sed cum eis adhærens virus (ut plurimùm) saltem ex parte retinetur: præstat autem venenosam materiam in prima delitescere regione, quàm alexiterio illam profundiùs impellere: faciliùs quippe vomitu ex prima, quàm ex secunda, vel tertia extrahitur regione.

Tertiò: ut 4 horis post emeticum, vel sedato vomitu propinetur diaphoreticum præstans & egregium, at non imbecille; ut pestilens aura, quæ penetravit profundiùs, radicitus extirpetur, & centro per vomitum mundato reliquiæ eliminentur per circumferentiam.

Quartò: ut generosum eligatur emeticum ex antimonio potiùs optimè pręparato, quàm aliunde: id enim omnibus perbellè satisfacit indicationibus, nam non modò infra supraque vitiosos cum veneno exturbat humores; verùm etiam unà per sudores: egregium etenim ex antimonio eliciunt diaphoreticũ Chimici.

Ego autem optimo cum successu præbeò vinum

vinum emeticum ex generoſo vino confectum ab unciis duabus ad uncias duas & ſemi robuſtis; debilibus verò & pueris proportionatè: id autem fit ex infuſione croci metallorum in vino. Eodem etiam ſucceſſu tartarum emeticum à granis 4. ad 7. ab Adriano Aminzict præſcriptum identidem in cocleari juſculi vel cereviſiæ porrigo, vel eorum defectu, feliciter utor oxiſaccharo vomitivo à dracmis ſex ad unciam unam: fit autem id ex vitri ſtibii ſubtillimè pulveriſati dracmis ſex, quæ infunduntur in aceti vini unciis quatuordecim per horas 24. deinde filtrantur per inclinationem, & pannum duplicem, & coquuntur cum ſacchari fini unciis quatuordecim in ſyrupum.

Fortia hæc quidem ſunt, ſed ſævuus morbus blandis minimè cedit medicamentis: immò præſtat validiorem doſim eſſe, quàm imbecilliorem: quando enim vomunt inſigniter, & poſteà ſtrenuè ſudor elicitur, indubiè reportatur victoria, & ſanitas certò certiùs ſuccedit. Si verò ſegniùs vomant, & nihil memorabile extrudant, mali ominis eſt: nec enim confert aliud fortius repetere, ſed prima vice valida doſis ægri viribus proportionata præſcribenda eſt.

Subſequens autem ſudorificum ſi votis non ita ſatisfecerit, poſt octo horas aliud valentius

poteſt

poteſt propinari : intereà tamen ægri viribus conſulendum , tribus ſcilicet horis poſt primum ſudorificum juſculum carnis analepticum porrigendo. Hac autem methodo ex duodecim peſte laborantibus facilè octo, aut novem ſervari compertum eſt.

Peſtilentiam Dei offenſi, & populũ, quem diligit, corrigere ſatagentis flagellum eſſe, nullus it inficias, ſed cur priùs hic humor potiùs inquinetur, quàm alter, ab humana mente capi facilè non poteſt. Si tamen omnipotentis Dei judicia ſcrutari liceret, ſententiâ Divi Gregorii Magni in aliqualem cauſæ agnitionem devenire poſſemus ; quæ ita habet libr. 4. moral. cap. 10. *In ipſa qualitate ultionis notavit Deus naturam criminis.*

Si peccata publica, quæ antecedentem peſtilentiam præceſſerunt in memoriam revocemus, frequentiſſima occurrent homicidia: tria enim occiſorum millia intra unius anni ſpatium in ſolo Belgio inter rixas & jurgia commemorantur. An non fortè propereà in ultionem effuſi humani ſanguinis, aurâ peſtilenti affecit ſanguinem in venis?

Præſentem autem peſtilentiam quæ anteceſſerunt flagitia, à nullis putem ignorari: fuerunt autem crapulæ, publicæ ebrietates, ingurgitationes, &c. quibus, præter Dei offenſam, multiplices cruditates,& humorum corruptio

ruptio abundè producuntur in ventriculo, intestinis, & prima regione. Quis proinde miretur, si etiam istis humoribus & locis affixerit Deus ultionem criminis? Iustissimum quippe est, ut per quæ quis peccaverit, per hæc & puniatur.

Verùm enim verò tam inscrutabilis est divinæ bonitatis abyssus, ut nolit mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat: adeò ut & in ipsa pœna ultionis manifestet indicationes curationis. Propterea nempe in peste præcedenti; quam effusio attraxerat sanguinis, missio proderat sanguinis: in hodierna verò quę à crapula & ingluvie traxit originem, per vomitus evacuationes magis prosunt.

Vis autem & ab hodierna & à pristina peste saluberrimo præservari consilio? Cùm arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curentur, esto & tu cælestis Medicus, singulis quibusque vitiis, quæ divinam promeruêre vindictam, obviantia adhibe medicamenta; oppone sobrietatem crapulæ, iracundiæ mansuetudinem; rixis & jurgiis charitatem; & in Domino sperans non infirmaberis.

FINIS.

500